DE SENVM AFFECTIBVS PRÆCAVENDIS,

NONNVLLISQVE CVRANDIS ENARRATIO.

Authore F. DE FOGEROLES *Consiliario & Medico Regio.*



LVGDVNI,

Sumptib. IOAN. de GABIANO, & LAVR. DVRAND.

M. DC X.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO,

GENEROSISSIMO, ET INCLYTO DOMINO

FRANCISCO A' BONA ESDIGVERIO, Polemarcho, id eſt, Tribuno militum, ſeu Mareſcalo Franciæ meritiſſimo, atque Delphinatus Allobrogum Proregi,

F. FOGEROLÆVS. S. D.

Υγίζαν ἄγων Χρυσέαν κῶμόνδε ἀέθλων.

LICET *enim mihi iiſdem te verbis affari, Dux generoſiſſime, quibus affatur Hieronem Syracuſanorum moderatorem ille Poeta, à cuius feruido immenſoq; dicendi ore tantùm noſtra recedit oratio, quantùm ipſe corporis animique bonis ad Hieronem, quem lenem & ſuſpiciendum vocat, accedis. Nam cùm vita hominis ſiue priuati ſiue Principis virtute & fœlicitate perficiatur, tuæ virtutis æquè atque fœlicitatis tam ampla inſurgunt inter homines monumenta, vt nulla venturi ſæculi ſæuitia hæc ab hominum memoria poterit obliterare. Non tamen hoc aliunde, quàm à diuina bonitate tibi preſſluxiſſe dixerim, quæ tanta prudentia animum tuum illuſtrauit, vt non ſolùm tuis, verumetiam reliquorum huius prouinciæ nobilium, cùm in eligendis, quæ ad vtriuſque religionis concordiam, pacíſque integritatem pertinent, conſiliis, tum in reprobandis dubij exitus iudiciis, tan-*

quam ſplendida face præluceas. Vnde pietate erga Deum & probitate erga homines ſic es affectus, vt de te meritò dici poßit, quod ſummus ille Dux Xenophon de omnium Græcorum ſapientiſſimo Socrate, quem adeò religioſum facit, vt ſine Dei conſilio nihil ageret, adeò iuſtum, vt nemini exigua quidem in re noceret, prodeſſet autem iis maximè, qui ipſo vteretur. Quæ ſingula ſi velim de te confirmare in immenſum excreſceret oratio. Sunt enim hæc tibi multitudine communia, magnitudine cum paucis propria: quare ad tuas heroicas virtutes propero, magnanimitatem, clementiam, & iuſtitiam, quibus cum Alexandro, Cæſare, & Minoe multis in vitæ partibus es conferendus, qui licet in ſublimiori loco poſiti illuſtriora virtutum edidiſſe effecta videantur, non tamen alio generoſitatis impetu, quo tu in rebus bellicis & vrbanis, lautioris fortunæ vitæq; diſcrimen contempſerunt: non alio etiam ſpiritu inconſtantes fortunæ motus tollerarunt, quo tu nihil infælicius eſſe eo, cui nihil vnquam aduerſi euenit, noſti. Huc etiam accedit tuæ clementiæ encomion, qui in tam longo belli & pacis tempore malueris vnum aut paucos è tuis ſeruare, quàm mille hoſtes occidiſſe. Quæ igitur nonnullos Deos fecit, Auguſtos conſecrauit, aut Pij nomine commendauit, hæc hodie te lenem Delphinatibus moderatorem, ſuſpiciendum Gentilibus patrem commendat. Quid de tua bellica iuſtitia dicam, quæ numquam arma ſuſcepit, niſi aut contra manifeſtam violentiam te defenſura, aut ab hoſtibus occupatas regias arces recuperatura, aut turbatores pacis compreſſura? Quid de togata, in cuius executione pro circumſtantiarum varietate in comprimendis delictis modò ſeuerus, modò lenis: in bene afficiendis bonis modò munificus, modò honorificus? Quid de principis Allobrogum vrbis murorum noua extructione, vicorum diſpoſitione, domorum eleganti ſtructura, pontium ardua molitione, pomeriorum ampli

amplitudine, vt quæ olim deformitate reliquas vrbes ſuperabat, nunc cum quauis alia ædificiorum pulchritudine, diuitiarum magnitudine, indigenarum probitate poſſit contendere? Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ φαυροτέροις, *inquit Pindarus vatum clariſſimus,* ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἕσαι δύσπαλες δὴ γένεται. *Qua de re non tantùm lenis & ſuſpiciendus tuis ciuibus, ſed etiam omnibus Galliæ proceribus, maximè verò potentiſſimo inuictiſsimóque Regi* HENRICO IIII. *qui tuæ fidei integritatem toties militiæ laboribus togæq; conſiliis expertus, ad ſupremam te euexit regalium munium dignitatem, ad quam non temerariæ fortunæ præludiis, blandóue proſperitatis fauore, ſed ipſius virtutis gradibus, quos modo recenſui, magnanimitatis, clementiæ, & iuſtitiæ meritis. Vnde, quadriiugo veluti curru, ad alta fœlicitatis capitolia magna tuarum virtutum comitante caterua euectus, beneactæ vitæ præmia reportas, tranquillitatem animi vitæ innocentia: lætitiam virtutum conſcientia: immortalem gloriam rebus bene geſtis: rerum ſufficientiam bellicis laboribus partam. Et, quod ſupremum fortunæ mihi videtur, filios filiorum ex illuſtriſſimo genero domino de Crequi ſuſceptos, quorum animis (in tenella quamuis ætate adhuc poſitis) ſic tuarum virtutum tam clara elucent veſtigia, vt de iis meritò dici poſſit:*

Iuſta quidem ſeries patribus ſuccedere natos,

Non fortunæ tantùm bonis, ſed etiam fortitudinis & temperātiæ per matrē Heroinarum præſtantiſsimā cū cæleſtibus pietatis igniculis in illos à te tranſmiſsis. Venio ergo tibi ὑγίειαν ἄγων χρυσέαν κῶμόν τε ἀέθλων: *libellū nēpe de Senū affectib. cuius lectione aut iam vrgentis aut certè aduentātis ſenectutis incommoda, quæ tibi cum multis eſſe communia poſſent, præcauere poteris: imparem tamen caltharum mole nominis*

tui magnitudini, verùm qui ſit rerum maieſtate maximè commendabilis. Nam ſi poculum abſynthij quadrigarum victores in capitolio, magnum velut præmium, ſanitatem per illud intelligentes, grato capiebant animo: tu verò qui candore animi cæteris mortalibus præſtas, libellum, qui tibi φιλοσυντόμῳ *verboſæ orationis breuitate non abſynthij poculum, ſed* ὑγίειαν *ipſam, non quadrigarum equeſtrium, ſed tibi ipſi bellicorum certaminum victori in tuam fidem atque clientelam venientem non grato excipies animo? Hac ſanè confidentia fretus ſub nomine tuo in lucem prodire non verebitur, quamuis obtrectatorum iudiciis deterritus hominum ad manus venire reformidet, in hoc præſertim extremo præcipitantis mundi ſæculo, in quo* ξυγεδαίμονες *oratores* τῶν ψόλων *in gratiam Themidis ſacrarium impunè conſpurcare maledictis non erubeſcunt, ignaræ mētes! Sed his omiſsis, curemus* ὑγίειαν πρῶτον, εἶτα εὐπραξίαν, τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτα ὠφέλειν μηδενί: *detracta enim ſanitate, quid poteſt in hac vita eſſe gratū & iucundum? At hic libellus ex inſtituto tanquam alter Prometheus cæleſtes igniculos ſanitatis opifices hominibus perſingulas vitæ ætates ad ſenectutem vſque protrahit, fouet, atque ſuſcitat, fouet reparatione humidi primigenij per legitimam victus rationem, ſuſcitat flabello ſpiritus vitalis per conuenientem aëris conſtitutionem, de quibus nobis te auſpice in hunc modum dicendum.*

Cùm Homo corpore & animo conſtet, velut natura corruptibili & immortali, elementari & ætherea, caduca & diuina, fieri non potuit, vt naturæ tam longè inter ſe diſſitæ ſimul conuenirent, niſi diuina prouidentia vtriuſque vinculorū indiſſociabili copulatione ita inter ſe coniungerentur, vt communi eorum nexu vnus fiat corporis & animæ concen-

tus, quem vitam, eorum diſſolutione, animæ à corpore ſeiunctio, quã interitum appellamus. Sunt autem hæc vincula ex parte animæ ſpiritus, ex parte corporis humidũ primigenium, ex vtroq; calor inſitus, quo ſupremus rerũ omnium opifex Deus, tanquam manu, corporis partes in idonea animę facultatibus inſtrumenta diſponit, & animę facultates in conuenientes corporis partibus functiones dirigit. Hunc naturã Græci Philoſophi vocãt, manũ ſummi omnium rerum opificis ſacri ſcriptores, maximeq́; Iobus his verbis. Αἱ χεῖρες σοῦ ἔπλασαν μὲ κύριε καὶ ἐποίησαν. ἦ οὐχ ὥσπερ γάλα μὲ ἤμελξας, ἔπηξας δὲ μὲ ἴσα τυρῷ; δέρμα καὶ κρέας μὲ ἐνέδυσας, ὀστέοις δὲ καὶ νεύροις μὲ ἐνεῖρας, ζωὴν δὲ καὶ ἔλεος ἔθου παρ᾽ ἐμοί. ἡ δὲ ἐπισκοπὴ σου ἐφύλαξε μου τὸ πνεῦμα; *Manus tuæ formauerunt me, domine, & architectata ſunt. Nónne vt lac me mulſiſti, & tanquã caſeum coagulaſti? Induiſti me pelle & carnibus, atque oſsibus & neruis compegiſti. Vitam mihi pro immenſa tua miſericordia largitus es, atque etiam-num procuratione aſsidua ſpiritum mihi tueris meum?* Quis melius velut penicillo vim illius caloris diuini in fabrica corporis humani, quàm hîc ſuis coloribus eſt expreſſa, delineare poſſit? Vocatur enim ille à philoſophis architectonicus ignis ob admirabilem in fabricandis corporibus efficientiam, quam nulla ars imitatione, nulla etiam cogitatio ſapientia poſſit aſſequi. Ideo Poëtæ Prometheum non ex elementari igne eum decerpſiſſe, at ex ætherea domo in fabricam corporum animalium, cui aſſignata fuit, fabulantur. Vt autem figulus nõ è ſolida & dura materia fictilia vaſa efficit, ſed è luto molli aqua temperato, ita neq;

calor

calor inſitus corpora, niſi è molli & lacteo ſemine, plurimóque abundante humido, quæ poſteà in vtero coquit & perficit, deſiccat & indurat, non ſecus ac figulus in furno ſua vaſa fictilia caloris elementaris beneficio. Ne autem temerario naturæ motu hæc effici credantur, diuinitatem caloris inſiti ex eo arguit, quòd omnes partes in corporibus aptiſſimo ſunt diſpoſitæ ordine. Nam quatenus partes aliæ aliis ſunt duriores, aut molliores, albæ aut rubræ, rigidæ aut flexiles, id caloris ope elementaris, quatenus verò aliæ aliis nobiliorem, aut ignobiliorẽ ſortitæ ſunt ſitũ & vſum in corpore, aut quod caro ſit caro, aut alia pars ſimilaris aut organica ſit talis, id caloris diuini potẽtia effectum eſt. Quomodo enim ſitus, numerus & forma ſingularum partium corporis immutabili perſiſterent ordine, niſi à mẽte architectonica, ita eſſent ſingula in ortu diſpoſita? Eſt tamen aliquis huius fabricæ finis & vſus, animæ videlicet, quam vitã appellat, domicilium, omnibus, quæ ad motum & ſenſum pertinent, organis inſtructiſſimum. Quoniam verò animæ conditio à corporea eſt valde diſſita, vt ſuperiùs diximus, ideo media quadam natura inter elementarem & æthereã opus fuit, ſpiritu videlicet, qui procuratione aſſidua inſpirationis & reſpirationis animam in corpore contineat. Ex his, quæ ſummatim Iobus perſtrinxit, conſtat quanta vi prouidentiæ, quantoque artificio & quibus mediis à ſummo illo rerum omnium conditore quiſque noſtrum factus ſit.

D E

DE AFFECTIBVS SENVM PRÆCAVENDIS, ILLISQVE CVRANDIS pars prior.

IN QVA

DE CAVSIS INTERNIS DIVTVRNIORIS, ET BREVIORIS VITAE.

De caloris inſiti differentiis & origine.

CAPVT I.

ITAQVE duplicem calorem in corpore noſtro licet conſtituere: vnum, cuius origo ex hac elementari quatuor naturarum compage exiſtit: alterum, qui proportione reſpondet aſtrorum elemento. Priorem poëtæ Vulcanum appellant, quem Homerus à Ioue de cœlo in terrã proiectum vtroq; crure confracto claudicare fingit, quod progredi nequeat abſque aliquo quaſi ligneo bacillo flamma huc illuc vacillante. Huius ſubſtantiæ permixtio cum tribus reliquis elementis molem facit corporis humani. Poſteriorem lucidum & purum ignem, Mineruam à Stoicis appellatum præſtantioris cuiuſdã eſſe ori-

ginis, neque elementaris rudiorem ſapere naturam ex eo conſtat, quod cicuta cum ſit temperamento frigidiſſima & naphtha calidiſſima, hæc vita tamen deſtituta iacet, illa verò viuit. Vnde intelligere licet, caloris, quo viuimus, poſt obitum, ne minimum quidem ſupereſſe animantis demortuæ cadaueri: cum nulla ſit eius particula, quæ elementaris non ſit particeps. Conſtat igitur ex cõmemoratis duplicem eſſe calorem elementarem & cæleſtem, origine inter ſe diſſidentes, ſimilitudine tamẽ operum inter ſe aliquomodo conuenientes, vt poſtea apparebit, reſtat, vt hîc inquiramus, qua ratione cœleſtis extrinſecus accedat corporibus, quáve ratione ab illis ſegregetur. Quod ad primùm attinet, duplicẽ eſſe aiunt viam generationis, vnam per propagationem ſpeciei, que fit vtriuſque ſexus copulatione, alteram per corruptionem rerum vſque ad primam materiam, vel ſaltem ad conueniẽtem formæ διάθεσιν materiæ. In generatione, quæ fit per propagationem ſpeciei, calor cœleſtis (caloris nomine ignem intelligimus) à genitore in genitum, nõ ſecus ac flamma de flamma ab vna face in aliam, indeſinenter traducitur. In generatione verò quæ fit per corruptionem rerum vſque ad primam materiã, calor traducitur in puncto quidem tẽporis ex ęthere in materiam alicuius formæ ſuſceptibilem, quam pro varia diſpoſitione variis partium figuris ornat & perficit. Hinc nouarum plantarum ſine ſemine generatio, item inſectorum & aliorum animaliũ in lucem productio, qualis Empedocli viſa eſt etiam primorum hominum tepefacto limo benigna ſyde-

rum

rum irradiatione natiuitas. Sic è violento attritu ſilicis elicitur ignis, nõ qui in compage lapidea continetur elementaris, ſed qui extrinſecus accedit aëre violento attritu adeo attenuato, vt priſtina aëris forma recedens igneæ extrinſecus accedenti locum faciat. Idem planè iudicandum de omnibus corporibus motu vehemente calorem, vehementiore ardorem, vehemẽtiſſimo flammã concipientibus, nõ quod ex iis eliciatur ignis, ſed quod motu aut attritu contiguus aër attenuatus propriam deponat formam igneam ſuſcepturus, quæ pabuli auida (nam extra propriam ſedem ſine eo retineri non poteſt) oleoſa quæquæ corpora facilè depaſcit. Vbi verò nulla lege ampliùs conſortij ignea forma in aliena materia retineri poteſt, non propterea extinguitur, ſed in ſuperiorem & naturæ ſuæ congruentẽ locum reſilit atque effertur:

Nam ſua cuique locis ex omnibus, omnia plagis
Corpora diſtribuuntur & ad ſua ſecla recedunt.

Quæ ſi ad contemplationẽ caloris cœleſtis referantur, quæ eſt ignis elementaris inclinatio ad aerem attenuatum inflammandum, ea quoque erit caloris cœleſtis ad humorem præparatũ animandum. Vbi verò nulla lege conſortij ampliùs cum materia detineri poteſt, vt modò diximus, non propterea extinguitur, vt credidit Ariſtoteles, ſed in ſuperiorem & conuenientem naturæ ſuæ locum effertur, qua ratione à Platonicis redux appellatur:

Tu paribus cauſis animas vitaſque minores
In cælum terrámque ſeris, quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.

Hac itaque ratione noua plantarum & animãtium generatio quotidie ſine præuio ſemine fieri inſpicimus calore cœleſti ſatis per ſe fœcundo & feraci. Quocircà Stoici, vt eſt apud Laertium, naturã cenſent eſſe ignem artificialem certa via progredientem ad generationem, qualis eſt ſpiritus ignis & artis ſimilitudinem præ ſe ferens. Quinetiam, quod diuinæ proprietatis inter hæc, quæ ſub oculos cadunt, plurimas imagines habeat, primùm ab Homero Θεσπιδαὲς πῦρ vocatus eſt, quem ſecutus Parmenides continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum, Deum appellat, & Heraclitus paucis inuerſis Deum definiuit ambientem ignem æternum. In eandem ferè ſententiam Hippocrates ante omnem natam philoſophiam ſcripſit in libro de principiis hęc verba. Δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, id eſt, *Videtur mihi id, quod calidum vocamus, immortale eſſe & intelligere omnia, & videre & audire & ſcire omnia præſentia & futura.* Quibus verbis apertè docet cœleſtem ignem vitalem, ob id vitam cunctis rebus animatis indeſinẽter tribuere: pariter ſenſum, motum & intelligentiam, quippe, qui motu, ſenſu & intelligẽtia ſit præditus eximia, quique in conformandis animalibus particulis, ſingularum futuros vſus præſciens, conuenientiſſimum cuique ſitũ, figuram, numerum & ordinem ſecundum admirabilẽ totius διάπλασιν & συγκρασίαν tribuit. Hinc eſt, quòd Galenus Hippocraticorum placitorum aſſertor calorem hunc diuinum appellat, atque Epodon, tanquam hymnis

Deos

Deos celebrantes, ante eius aras ſe ceciniſſe, in illo opere, quem de vſu partium corporis humani inſcripſit, prædicet, admirabilem eius potentiã exemplo illuſtrãs incomparabili, cuius generis eſt Phaëton quatuor equis inuectus in gemma annuli incredibili operis ſubtilitate inſculptus, in qua nõ tãtùm numerare ſedecim quatuor æquorum pedes dabatur, ſed etiam os & dentes anteriores cum ſumma artificis admiratione intueri: longè tamen inferiorẽ tantam humanæ mentis diligentiam pullicaris cruris naturali artificio, quo Deus oſtentat ſuam admirabilem vim & ſapientiam quòd ipſum nullo labore mirè conformatum nutriat & augeat. Cum igitur, inquit ipſe, ars tanta in tam abiectis animantibus appareat, quantam artificis vim & ſapiẽtiam in præſtantioribus ineſſe putabimus? Quæ à nobis obiter ſunt propoſita, non quod Deum ignem facere velimus, abſit, ſed calorem, quo viuimus, vt in principio poſitum fuit, manum eſſe altiſſimi Dei.

De caloris ſede, pabulo & fomento, deq́ eius efficientia in genere.

CAPVT II.

HÆc de origine calidi innati, nunc de eius ſede & efficientia in corpore pauca & breuiter ſunt dicenda: calorem igitur cœleſtem (veriùs lucem aut ſplendorem dixerim, quàm denſum ignem) duplicem in corpore ſtatuimus, vnum ἔμφυτον, qui velut flamma in Elychnio poſita in ſingulis corporis partibus aſſeruatur: alterũ ἀρχὴν τοῦ θερμοῦ καὶ τῆς ζωῆς,

id eſt caloris, & quæ ab eo ſuſtinetur vitæ ſedes & iugis ſcaturigo in corde, quaſi in lare focóque poſitum, quo naturæ fomites & primordia ignis natiui continerentur, atque inde pertinerent in omne corpus. Vterque bene affectus functiones corporis perficit, ſanitatemque de ſe promit. Contrà verò immoderata caloris elementaris exuperantia nimis auctus, aut refrigeratione imminutus, corporis functiones imperfectas relinquit, vnde prima morborũ labes, tandemq; interitus. Calor igitur, quem diximus in ſingulis corporis partibus velut flammam in Elychnio eſſe poſitum duplicem habet efficientiã cum in ſe & in propria materia, tũ extra ſe & in ſubiecto alieno. Prima efficientia pręcipua & potiſſima eſt, qua calor ſummum actum æmulatus aliquid in ſeipſo profert, quo propriam perfectionẽ moliatur, cuiuſmodi eſt caloris ab ignea forma in ignea materia productio, qua ratione ſui ipſius genitor eſt calor: vel ſalutem ſpirituoſa ſubſtantia & humido primigenio, quorũ altero velut pabulo nutritur, altero tanquã flabello excitatur, qua ratione ſuiipſius conſeruator habetur. Vt autem exemplo rem illuſtremus, ſit nobis ante oculos poſitus ignis, qui in foco eſt, elementaris. Hic dum violenter retinetur extra naturalem ſedem duplici indiget fomento, aëre, videlicet, ad caloris contemperationem, fuliginis exceptionem & pabuli depaſtionem: Deinde præpingui quadam materia, cuiuſmodi in lucerna eſt oleũ: hoc enim omnium celerrimè corporũ inflãmatur, quod tenui ſubſtantia multoq; aëre perfuſa cõtinetur. Ita calor cœleſtis ex parte animę ſpiritu, ex parte cor

te corporis humido primigenio fouetur atq; ſubſtentatur:ſpiritu quidem tanquam vehiculo & inſtrumento: humido primigenio tanquã pabulo & fomento. Quo autem ſpiritus neceſſitatem pleniùs intelligamus animæ cũ corpore coniunctio à veterum philoſophorum placitis priùs repetenda eſt, quorum alij animam, vt formã in materia corporis organici & naturalis, ſicut Peripatetici: alij vt gubernatorem in naui, ſicut Stoici: alij vt aurigã in curru equos iræ & cupiditatis agitantem rationis habena, ſicut Academici, eſſe voluerunt: qui Peripateticorũ ſententiam amplexi ſunt, animã incorpoream eſſe ſtatuunt: qui Stoicorum corpoream: qui Academicorum partim corpoream, partim incorporeã eſſe aiunt. Poſteriorum ſententia his confirmatur rationibus: primò, quia natura ab vno extremo ad aliud ſiue aliquo medio vinculo non permeat, mediam quandam eſſe inter formas omnino à materia ſeparatas, & eas quæ penitus ſunt à materia inſeparabiles, quę vtriuſq; naturæ particeps, ita nõ ſit penitus abſtracta, vt corpori inſeri non poſſit, neque corpori ſic demerſa, vt aliquando emergi nõ poſſit. Quæ quidem ratio, nec Dei nec brutorum naturæ competit: vnde cõſtat animam ſolius hominis ad corpus accedere & recedere poſſe ſine ipſius interitu, quæ certę demõſtratio ad animę humanæ immortalitatẽ plurimùm facit. Itaq; animã à ſummo omniũ rerum opifice creatam, priuſquam huic tenebricoſo immigraret corpori, quia natura incorporea cum corporea ſine aliquo medio vinculo coire non poteſt, corpore quodã lucido & immortali ex aſtrorũ

natura

natura comparato, ſic illam indutam eſſe voluerūt, vt neque planè incorporea, neque planè corporea exiſtat. Ab hoc deinde ſecundum corpus aëreum animæ circuniecerūt, ex elementorū præſertim tenuiorum permixtione cōcretum, quod ſpiritus appellatur, cuius beneficio anima fit tertij huius corporis caduci & mortalis incola. Tertium autem hoc corpus è craſſamento conſtat & humoribus: craſſamentum rurſus è ſolida ſubſtantia & carnoſa. Solida eſt ſtamē illud terreum, per quod toti robur ineſt, & quo tanquam baſi reliquæ innituntur ſubſtantiæ: carnoſa, quæ vndique circumfluit, infercitque ſpatia inter fibras vacua. Humores rurſus aut ſunt ſimilares aut organici (placet enim harum vocum ad diſtinctionem euidentiorem vſurpatio) ſimilares ſunt, qui partis ſimilaris ſolidam & carnoſā ſubſtantiam perficiunt: in ſolida dicuntur primigenij: in carnoſa alimentarij. Primigenij autem ſunt duo; primus aqueus eſt, cuius interuētu partes craſſamenti cohærent firmaque in ſoliditate perſiſtunt: ſecundus radicalis eſt, cuius conſiſtentia pinguis & oleoſa ſpiritus & caloris fit pabulum vitæque fundamentum exiſtit. Alimentarij verò ſunt quatuor: concretus, qui ſolidis fibris adhæreſcens moles fit ſimilaris partis: glutinoſus, qui ſeu proximum partis alimētum illi iam annectitur: roridus, qui in partis ſubſtantiam diffuſus illi apponitur: poſtremus, qui ex exilium venarum & arteriarum anaſtomoſi in vacua partium loca ſeſe inſinuat. Hi ſunt ſimilares, qui ſequuntur organici. Humores organici ſunt quatuor, ſanguis, bilis flaua, bilis atra & pituita, qui omnes

omnes nomine ſanguinis continentur, non ſecus ac in lacte ſerum, butyrum & caſeus. Dicuntur autem organici, quia ad eorum generationem æquè atque conſeruationem ſunt certa organa à natura deſtinata, ventriculus, hepar, venæ & arteriæ, imò etiam ſecernicula quædam atræ bilis, lien, flauæ bilis folliculus, ſeri veſica, ſanguinis hepar, & quæ ab eo deriuantur venæ.

De prima caloris inſiti efficientia in ſua geneſi & procuratione ſalutis.

CAPVT III.

HIs ita expoſitis ad caloris cœleſtis in ſe conſeruando efficientiam, à qua digreſſi eramus, nobis reuertendum. Calor igitur ἔμφυτος, ſiue infixus, ſingulis corporis partibus tanquam flamma in Elychnio poſitus continuò ardet, qui cum ſit aduentitius, neque poſſit ſine ſubiecto ſuæ naturæ conuenienti permanere, familiari quadam originis conditione cum illo corpore, quod ſuperius aëreũ ab elementorum tenuiorum permixtione concretum nominauimus, inſeritur, fitque è concurſu vtriuſque naturæ igneus ſpiritus ad facultates animæ expromendas idoneum inſtrumentum. Conſimili itidem ratione dum calor ab humido pingui, velut à naphtha ignis, allicitur, pabuli iucunditate blandè per totam partis ſubſtantiam diffuſus eius vſum facultatibus animæ accommodat, vnde fœlices depromuntur operationes. Verùm, quia perpetua ſpirituum effluxione & humoris primigenij

conſumptione calor ἔμφυτος non diu poteſt in ſua integritate permanere, ideò principiis quibuſdam velut fontibus opus fuit, à quibus nouæ ſpirituum & humoris primigenij ſoboles continuò affluerent. Itaque cor & pulmo ad ſpirituum, iecur autem & ventriculus ad humoris primigenij propagationem animantibus à ſummo rerum opifice ſunt contributa. Nam aër inſpiratione attractus vi pulmonis ingenita attenuatur, mox attenuatus per venam arterioſam in ſiniſtrum cordis ſinum rapitur, igneique ſpiritus beneficio, quo plurimùm cor abundat, coquitur, & in ſpiritum influentem conuertitur, qui deinde per arterias benefica luce ſingulas partes irradians ἐμφύτῳ perſeuerantiam tribuit ſpiritui. Conſimili ratione cibus in ventriculum attractus ingenita eius vi attenuatur, mox attenuatus per venam portam in iecoris parenchyma rapitur igneiq; ſpiritus beneficio, cuius nulla pars eſt deſtituta, coquitur, & in humorem influentem, quem organicum vocauimus à continentibus partibus organicis, vertitur, qui deinde per venas benefica hæmatoſi ſingulas partes irrigat, alit, & humido primigenio perſeuerantiam donat. In hunc igitur modum calor cœleſtis ſuiipſius eſt conſeruator. Verum quia nôn eadem bonitatis lance neque ſpiritus, neque humidum influens in partem aut humido exhauſtam, aut ſpiritu egenam rependitur, fit vt calor quodammodo in coquendo obtundatur, ſéque per accidens conſeruationi ſtudens interimat. Ad cuius rei intelligentiam ſubiiciatur exemplum

plum vulgare à corporum, quæ incenduntur, deſumptum, ſimilitudine, quam nemo poterit percipere, ſi ad arbores, quæ in ſyluis vireſcunt, cogitationem dirigat: illæ enim radicibus in terra defixis, veluti venis in iecore, humorem ſanguini proportione reſpondentem ad truncum, ramos & fructus proliciunt, partes organicas, quæ alburno, cortice, & medulla veluti ſimilaribus conſtant, qui, dum cæſæ arbores igni mandantur, incendio reſiſtit, donec viribus caloris ſuperatus ex ligni illa parte copioſè defluit, quæ eſt igni auerſa: atque ita lignum aridum humoreque alimentario exhauſtum relinquitur. Quo tempore pinguis quidam & oleo ſimilis humor (nam quæcunque vita prædicta fuerunt, pingui perfunduntur humore, vt ex Chymia licet intelligere) tenaciúſque ligneis fibris adhæreſcens luculentam de ſe emittit flammam igneo calori factus pabulum: quo itaque conſumpto, fibræ ligneæ, ſeu craſſamentum terreum, carbonibus aqueo humore adhuc cohærentibus, tantùm ſuperſunt, quæ tandem vi caloris reſoluuntur concidente aqueo cum caloris interitu in extremos cineres. Ita commemorati humores organici, qui vno ſanguinis nomine continentur, dum partes ſimilares igneo ſpiritui mandantur, incendio reſiſtunt, donec vi caloris ſuperati, primò per inſenſibilem tranſpirationem, inde per ſudores & vrinas, & alia excrementa copioſè defluunt, atque ita ſenſim corpus areſcit minúſque fit idoneum ad vſus humoris alimentarij.

Quo tempore pinguis quidam & oleoſus humor tenacitérque fibris craſſamenti adhæreſcens lucu-lentam de ſe emittit flammam, qualem in florenti ætate videre licet, igneo ſpiritui factus pabulum. Quo itaque conſumpto, in ſenectute videlicet, fibræ craſſamenti partium benefico humore, ſcilicet primigenio, exhauſtæ remanent, aqueo tantum inter ſe cohærentes, qui tandem vi caloris penitus exſiccatus reſoluitur, conciduntque fibræ cum caloris interitu in cariem, quæ extrema corporis eſt conſumptio.

De ſecunda caloris inſiti efficientia in corporis geneſi & corporeæ ſalutis procuratione.

CAPVT IIII.

HActenus de efficientia caloris in ſe & in proprio ſubiecto. Diximus enim ſuperiùs quomodo calor in ſe propriam perfectionem moliatur, quomodo etiam cum è ſpiritu tum ex humore primigenio ſalutem ſibi procuret, priori modo ſuiipſius genitor, poſteriori conſeruator exiſtens. Nunc verò qualis ſit extra ſe & in alieno ſubiecto videndum: itaque ſecunda caloris efficientia à prima deriuata duplicem, ſicut prior habet efficientiæ rationem, genitoris, ſc. & conſeruatoris. In hoc tamē ſecunda differt à prima, quod perfectionē, aut ſalutē à prima efficientia productam, in alienam materiam traducit, gignitque conſimilem ſpecie. Prima efficientia eſt veluti caloris ab ignea forma in ignea materia productio: ſecunda verò, vt eiuſdem caloris

ris in vicinis corporibus multiplicatio:prior modus fit ſine inſtrumento à parte in partem, à ſimplici in ſimplicem, à calore videlicet nudo in calorem nudum,aut è ſpiritu nudo in ſpiritum nudum: Poſterior fit cum inſtrumẽto inter totum & totum,compoſitum & compoſitum, & ab actu minimè nudo ad qualitate aliqua conueſtitum,ita fit tranſmutatio aëris in ſpiritum vi ingenita cordis & pulmonis, ita fit tranſmutatio alimenti in ſanguinem vi ingenita iecoris & ventriculi, ita fit tranſmutatio ſeminis in fœtum vi ingenita vteri, ita denique fit trãſmutatio materiæ viſcidæ & tenacis in tendonem, neruum aut arteriam vi ingenita ignei ſpiritus, qui eſt in ſemine & ſingulis cõmemoratis partibus, non tamen nuda,ſed temperie partis cõueſtita à prima quatuor naturarum permixtione,cuius ipſe calor inſitus eſt moderator, opificis & efficientis cauſæ rationem continens in ortu mixtorum ipſe immixtus remanens.

Caloris igitur cœleſtis ſecunda actio aut generat,aut quod genitum eſt, quandiu poteſt, ab interitu conſeruat: prior modus conſiſtit in Eucraſia ſubſtantiarum & diaplaſmo partium: poſterior in victus ratione per ætates & tempora,in aeris electione ſecundum terrarum & aquarum ſitus: nam qualis aer tales ſpiritus, quales ſpiritus tales humores, quales humores talis craſis partium totiuſque corporis diaplaſmos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

- Caloris inſiti efficiẽtia.
  - Prima in ſe & in propria materia ſeſe perficiens.
    - Geneſi à ſimplici in ſimplicem, à forma nuda in materiam nudam, à parte in partem.
    - Procuratione ſalutis.
      - Spiritu veluti fomento, refrigerio & vehiculo.
      - Humido primigenio, tanquam pabulō
      - Craſſamento, tanquam elychnio.
  - Secunda extra ſe & in ſubiecto alieno ſe ſe multiplicans.
    - Corporis geneſi.
      - Tranſmutatione.
        - Elementorum in alimenta, aliment. in primos humores, primorum hum. in Secundarios, ſecund. in carnoſam ſubſtantiam, carnoſæ in ſolidam.
        - Aëris in ſpiritum vitalem, vitalis in ſubſtantiam ſpirituoſam.
        - E reſiduo alimenti vltimi & ſpirituoſæ ſubſtãtiæ fit ſemen.
      - Syntheſi
        - E ſemine Craſis & Tẽperamentum partium ſimilarium.
        - E ſimilaribus Diaplaſmus partium organicarum in numero, magnit. ſitu & figura.
    - Eiuſdem procuratione ſalutis.
      - In vtero.
        - Sanguine aut lacte per venam humbilicalem, vena vmbilicalis per cotyledonem, cotyledon per vterum, vterus per venas epigaſtrij, venæ Epigaſt. per mamillares.
        - Spiritu tranſpirato per duas arterias vmb.
      - Extra vterum.
        - Cibis in ventriculo præparatis, poſtea in iecore in ſang. conuer. vnde humidũm oleoſum influit per totum corpus ad conſeruationem humidi primigenij.
        - Aëre in pulmone præparato, poſtea in ſiniſtro cordis ſinu in ſpiritum conuerſo, vnde igneus ſpiritus influit per totum corpus ad cõſeruationem ſpirituoſæ ſubſtantiæ. Sed vtriuſque reparatio tam humidi primigenij quàm ſpirituoſæ ſubſtantiæ paulatim ad extremum vſque ſenium à bonitate recedit.

De caloris inſiti paßionibus in ſe & in propria materia.

CAPVT V.

TALIS igitur eſt cœleſtis caloris efficientia, talis inquam in bonitate perſeuerantia, quandiu ſpiritus & humidi conuenientem nactus fuerit mediocritatem. Verum, quia nihil eſt in rerum natura, quod agendo non repatiatur, quæ ſint caloris illius actuoſiſſimi paſſiones cõſecutione quadam doctrinæ nobis tandem inquirendum. Diximus enim ſuperius eius duplicem eſſe efficientiam primam in ſe & in propria materia ſpiritu, videlicet, humido primigenio, & partium craſſamento, quibus ſuam molitur perfectionem & ſalutem. At hic dum naturali quadam neceſſitate perfici & conſeruari deſiderat, craſſamentum, quod Elychnij inſtar vim caloris ſuſtinebat, ita ętatum progreſſu humido exſiccat primigenio, vt illud omnino ſuę eclãpſi inutile reddat, minuſq; ſpirituoſæ ſubſtantiæ peruium. Vnde fit, vt dum ſenſim humidũ abſumitur, calor quoque pariter ſui exitium moliatur, nõ ex inſtituto, ſed ex alterius interiectu: nam cum alimentis euchymis mediocriter calidis & humidis radicalis humidi iacturam reſarcire poſſit, poteſt ad tẽpus, non tamen infinitum, cum ſit virtutis finitę, nec ęquale, nec planè ſimile, cũ vis eius à primis annis paulatim minuitur, atque agendo repatitur, donec ea extremo ſenio lãguida penitus cõtabeſcat: in cuius rei argumẽtum, ſi per primum tẽpus & ętatis & anni, vt docet Hippocrates, in pueritia, videlicet, & verè sãguis: in ætatis autem

autem progreſſu & æſtate bilis flaua, in prouectiore autem & autũno atra,in ſenectute verò & hyeme pituita habundat,humorum in deteriorẽ ſemper facta degeneratione, quãtò magis per eadem tẽpora & ætates humidi primigenij in deterius fiet degeneratio? Quocirca duplex hic excitari ſolet quæſtio: prima,cum calor ſit cœleſtis,cœleſtium verò natura ſit incorruptibilis, qui fieri poteſt, vt caloris huius ſubſtantia ſit corruptioni obnoxia? Reſpondetur,calorem illum cœleſtem in humido primigenio tanquam in alieno ſubiecto non naturaliter eſſe, eſt enim aëreum: reliquis verò ſyderibus & in ſole maximè,velut in proprio fonte & principio ſecundum naturam contineri,hic purus & immarceſſibilis,illic elementorum contagione corruptibilẽ naturã redolens. Altera, an arte aliqua vita produci poſſit,cum ſint eius termini ita præſcripti,vt præteriri nequeãt? (nam Stoici cauſas ita connexas affirmant,vt omnes conſecutione pendeant à prima, quæ cum ſit neceſſaria & ineuitabilis, omnia quoque neceſſitate eius fieri putant: Peripatetici contrà,cauſas inter medias impediri poſſe, partim humana renitente voluntate, quæ ſui iuris eſt, partim materiæ hypothetica conditione, in iis præſertim, quæ non ſemper, ſed vt plurimum fieri conſueuerunt:nam cœleſtia non agunt, niſi ſubſit materiæ à ſecundis cauſis diſpoſitio.) Reſpondemus ordinem vniuerſi,qui cernitur in iis,quæ vt plurimùm fiunt, artem immutare non poſſe,propterea, qui in ſpecie vnicuiq; animanti conſtitutus eſt terminus præteriri nõ poteſt, in indiuiduo verò & ſingulis ſeorſum

ſumptis

ſumptis produci poteſt, vt patet in Herodico Gorgię fratre, vt eſt apud Platonem in libris de Rep. qui ſi languido calori vitæ ſuæ curſum commiſiſſet, nec alimentis euchymis humidum radicale reparaſſet, mediocriter calidis calorem torpentem fouiſſet, ocyùs è viuis exceſſiſſet. Ex his itaque intelligi poteſt, Fatum retardari poſſe, vt olim oraculo reſponſum eſt, non impediri.

De caloris inſiti paſsionibus extra ſe & in ſubiecto alieno.

CAPVT VI.

SECVNDA caloris efficientia extra ſe & in ſubiecto alieno ſeſe multiplicans, partim noua corporis geneſi, partim eiuſdem procuratione ſalutis fuit. At hic, vt in prima, non ſimpliciter à ſeipſo, aut naturali quadam neceſſitatis lege afficitur, ſed etiam malis ipſius animæ moribus, quæ cupediæ & libidini ita indulget, vt per diſſolutum victum & deſidiam oriãtur fluxus & flatus, qui lacunarum inſtar in corporibus humanis exundant, & varia morborum genera ex ingluuie cibi & potus ingenerantes calorem extingunt & deprauant. Quid de animi pathematibus, quorum alia calorẽ ἔμφυτον ita intendunt, vt non longè à febrili, alia ſic remittunt, vt nõ longè ab extinctione recedere videatur. Adde quod per ignorationẽ rerum aër inſalubris pro ſalubri, cibus dyſpeptus aut cacochymus, pro eupepto aut euchymo ſubſtituãtur, itẽ ſomni & vigiliarũ, motus & quietis, excretorum & retentorum ametriam, quæ omnia

calori vim inferunt, aut primò & per ſe, aut aliorum interuentu. Primò & per ſe poſitiuè, aëris aut cibi infenſa qualitate, ſiue manifeſta, ſiue occulta: priuatiuè, aëris aut cibi interceptione, quam tandem conſequitur caloris extinctio. Aliorum interuentu, primò, vt elementorum cum alimentis, quorum alia plurimùm habere conſtat igneæ naturæ, vt allium, porrum, cæpa, vinum generoſum: alia aqueæ, vt cucumeres, melones, ceraſa, fraga, &c. Alia aëreæ vt mel, oleum, ſaccharum, pinguedines, &c. Alia terreæ, vt frumenta, legumina, &c. Ita dicendum de ſingulis animantium partibus & integris. Secundò, alimentorum cum primis humoribus, ita ſanguis conſiſtentia mediocris, colore rubeus, de mediocritate in tenuem, craſſum aut liquidum, de rubore in flauum, nigrum aut album degenerat, aucta nempe caloris aut imminuta qualitate ſecundum diuerſum alimētorum vſum. Ita etiam bilis conſiſtentia tenuis, colore flaua, de tenui in craſſam, de flaua in igneam, aut caloris non naturalis acrimonia toſta in venis degenerat, quam vitellinam appellant, aut alimentorum ipſorum actimonia extra venas in porraceam, æruginoſam, aut cæruleam. Ita etiam melancholiæ conſiſtentia craſſa, colore nigra, de craſſa in cineream, de nigra in atram, aut caloris non naturalis ardore in venis degenerat, aut alimentorum ipſorum aucto caloris gradu è cerula bile, aut ſalſa pituita fiunt reliquæ melancholiæ ſpecies, quæ ſunt omnino præter naturam. Ita denique pituita conſiſtentia liquida, colore alba, ſapore dulci, è liqui

liquida extra venas in tenuem, tenuis in mucoſam, mucoſa in vitream, vitrea tandem in gypſeam: item in venis ex alba in atram, è dulci in acidam, ſalſam aut putrem, idque vnius caloris non naturalis ope, qui partim in alimentis immoderatè calidis, partim in viſceribus intemperie calida affectis, continetur, degenerat. Hinc febrium diuerſa genera diuaricantur, quarum aliæ in venis, aliæ extra venas, hæ intermittentes, illæ continuæ,& vtræque ſimplices aut compoſitæ, confuſæ aut implicitæ. Hinc etiam varia tumorum genera è metaſtaſi humorum in ſingulas partes corporis humani. Idem iudicium eſto de alimentis, quæ ſua frigida intamperie calorem inſitum remittunt, minuunt aut extingunt, vnde pituitæ crudæ, cæterorumque humorum in coquendo contumacia, ſeri & flatus iugis prouentus, partium atonia totiuſque corporis cachexia. Tertiò, item primorum humorum cum ſecundariis, ita è ſanguine pituitoſo alitur cerebrum, bilioſo pulmones, melancholico lien, nempe illo humore ad ſe attracto, qui vnicuique parti familiaris eſt & iucundus. Vbi verò ſanguis ſupra ſuæ naturæ leges pituita, bile flaua, aut atra auctus fuerit, calorem artificem, aut calida humoris qualitate intendit, aut frigida remittit, aut humoris abundantis copia obruit, aut alicuius penuria lædit. Quartò, hinc partis intemperies, à partis intemperie facultatis naturalis deprauatio cum in attrahendo & coquendo, tum in excernendo & aſſimilando, ſiue immodicè auctus ſit calor, ſiue imminutus. Idem iudicium eſto de aëre

pulmonibus inſpirato, qui aut qualitatibus manifeſtis calore & frigore, ſiccitate & humiditate ſpiritus lædit, aut eoſdem occultis, venenata nempe qualitate, ſecundum varium cœli & ſoli ſtatum labefactat. Quî igitur fieri poteſt, vt ex vltimi alimenti & ſpirituoſæ ſubſtantiæ reſiduo ſemen ad ſyntheſin partiū conueniens excernatur, ſi generantis partes ſimilares aliquo in Craſi, aut Diaplaſmo laborauerint vitio? aut ex materni ſanguinis pabulo, & ſpiritus tranſpirati fomento fœtus gignatur ſanus, ſi mater eodem tempore, quo prægnans fuit, intemperanter vixerit? Itaque non ſolum ſacræ literæ conſtantem valetudinem rectæ vitæ præmium eſſe docent, ſed in ordine quoque votorum, ſeu ſummi boni popularibus olim cantilenis celebrari ſolitam primas ſemper tenuit corporis ſanitas, quam temperantiæ tamen & manſuetudini in primis acceptam illam referre debemus.

Vitæ breuioris diuturnioriſ-ve indicia.

CAPVT VII.

COMMVNI Philoſophorum ſuffragio homines præ cæteris animantibus ſunt viuaciores, & inter homines, qui Deum timent & honeſtatem colunt, inter cæteras animantes elephas, authore Ariſt. Item terreſtres aquatilibus, aquatiles inſectis. Inter arbores quercus, & quæ pingui & oleoſo humore conſtant, vt pinus, abies, cupreſſus, &c.

Quibus naſcentibus ſol fuit in ortu, aut paulò antè, vel pòſt.

Quibus naſcentibus planetæ omnes ſunt ſub terra.

Qui naſcuntur in æquinoctio verno, his enim ferè eadem eſt reuolutio planetarum natiuitatis, quæ mundi.

Sicca corpora & ſalubrius viuunt, & diutius quã humida & excrementis plena.

Qui dentium multitudine & firma horum compage ſunt præditi.

Qui tres lineas in manu oblongas habent æquales ac firmas. Docet idem Ariſt. lib. 1. ca. 15 de hiſtoria animalium.

Qui, eodem authore, habent ſpatium ſuperiùs à pectore ad vmbilicum vſque longius inferiori.

Qui breues habent digitos ſecundùm eundem.

Qui habent amplas venas: nam in ſenibus videmus venas fieri anguſtiores.

Quibus fellis productio eſt pauca, aut nulla, argumento ex ſolipedum, ceruorum, delphinorum & camelorum genere deducto.

Qui corpus habent moderatum, memoriam expeditam, cogitationem agilem, imaginationem bonam, videndi acumen eximium ſecundùm Galenum.

Qui vrinam emittunt cum laudabili ſedimento, plurimam potiùs quam paucam, ſplendidam magis quàm obſcuram, quæ etiam diutiùs manet incorrupta aut immutabilis, vnde naturalis caloris integritas coniicitur.

Maribus etiam diuturnior eſt vita quàm fœminis in locis præſertim frigidis, contrà fœminis in locis

calidis, contrariis ita modificatis.

Qui feces parum olentes, conſiſtentiæ duræ potiùs quàm mollis, excernunt.

Quibus in facie color bonus eſt, roſeus ſcilicet & clarus.

Qui rubentes habent vngues mixta albedine.

Quibus ieiunis ſpiritus bene olet.

Qui ſomnum profundum & continuum dormiunt, iuniores plus octo horarum ſpatio, ſeniores minùs, reliqui ducta ratione.

Qui craſſioribus cibis quàm delicatioribus vtuntur, quia inſignis calor eupepta edulia corrumpit, aſſat, torret, in bilem vertit, mollem generat habitũ, & aëris iniuriis facilè peruium.

Qui certa incolunt loca, editiora magis quàm decliuia, nam qui in Tmoli cacumine degunt 150, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, dicũtur viuere. In Delphinatu Allobrogum octogenariorum vulgaris eſt numerus, in Æthiopia centenariorum, & aliorum aliis, ita cœli & ſoli ferente natura.

Contrà, quæcunque animantia excrementis abundant etiamſi ſana degant neque morbis infeſtentur ipſorum tamen excrementorum fluxu paulatim conficiuntur.

Qui ſiti perpetua laborant acriorem vim elementaris caloris habent, quæ humidum primigenium populatur, breuiq́; ſeneſcunt.

Inter mulieres, quæ frequentiùs pariunt, ſunt breuioris vitæ, quàm quæ rariùs.

Animalia ſalacia & quæ multùm ſeminis gignunt ac profundunt minùs longæua ſunt. Immoderata

derata namque Venus refrigerat & exſiccat, quia alimentum & calorem ſubtrahit, atque ita ſenectutem ac mortem accelerat.

Senilis autem iuuenta præmaturæ mortis ſignum eſt.

Nec vllum ſenectutis certiùs indicium quàm memoriam labaſcere: nam Senecæ teſtimonio, primum quod ætas inuadit eſt memoria. Rufi celeriùs quàm nigri caneſcunt.

Diuturnioris vitæ exempla inter homines reliquoſque animantes & plantas.

CAPVT VIII.

DIVTVRNIORIS vitæ exemplum noſtro ferè ſæculo Franciſcus Aluareſius Abunam Æthiopum Antiſtitem nobis exhibuit, cui annum 150, agenti cruda erat adhuc viridiſque ſenectus. Centeſimum annum excedētem Pollionem Romulum diuus Auguſtus hoſpes interrogauit, vt eſt apud Plinium, quanam maximè ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet, cui reſpondit ille, intus mulſo foris oleo. Idem Plinius lib. 7. capit. 48. diuturnioris vitæ plurimos enumerat, inter quos Arganthonium quendam Gaditanum refert octoginta annos regnaſſe, Maſiniſſam ſexaginta, Gorgiam Siculum octo & centum vixiſſe, Perpennam 98. Marcum Coruinum 100. Metellum Pontificem totidē. Ex fœminis Liuiam Rutilij 97, annos exceſſiſſe. Statiliā 99. Terētiam Ciceronis 103. Clodiam Ofilij 115. multaſq; alias, quarum quædam pro mira

miraculo Theatris ſunt conſpectæ. Homerus etiam Iliados primo Neſtora duas hominum ætates vixiſſe,& ad tertiam perueniſſe refert, quod idipſum innuit Iuuenalis his verbis:

Rex Pylius,magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplar vitæ fuit à cornice ſecunda.

Quod ad bruta animantia attinet Ariſtoteles capite 1.de vitę longitudine & breuitate,hominũ equorum genere viuacius eſt, & vtrouis viuaciorem eſſe cornicem, ſicut & hac ipſa coruum,& hoc item etiã ceruum confirmat ſecutus Heſiodum, & vtrumque Theophraſtus,qui moriens accuſaſſe fertur naturã, quòd ceruis & cornicibus vitam diuturnã, quorum id nihil intereſſet, hominibus verò, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dederit: ἡμεῖς γὰρ ὅποτε ἐρχόμεθα ζῆν, τότε ἀποθνήσκομεν. Sed hanc de brutis animantibus longæuitatem ab Heſiodo fabulosè confictam credit Plinius.

Iam verò eorum etiam, quibus natura nihil tribuit amplius quàm vim naturalẽ accretionis & nutritionis,eadem quoq; ratio eſt longæuitatis, vt alia ſint aliis diuturniora, ſicut in arborum genere cypariſſus,palma,cedrus,vlmus & quercus, cuius vetuſtas intacta æuis & mũdo penè congenita permanet: in herbarum genere ruta, hyſopus,ſaluia, nonnullæque aliæ perpetua virent coma,ex quibus omnibus apparet diuerſam eſſe in diuerſis formis vitæ periodum. Quòd autem indiuidua quędam in ſingulis rerum naturalium formis ſuæ periodi metam nõ attingunt, id fit propter cauſarum confuſionem & inæqualitatem materiæ, reſque ſingulæ ad periodi

metam

metam propius accedunt, quo calidi & humidi propior eſt temperies, ſecundum Ariſt. vel quo iuſtior eſt quatuor elementorum in corpore ſymmetria ſecundum Galenum, vel mea ſententia, quo minor eſt caloris inſiti efficientia, & quatuor naturarum repugnantia. Cæterùm homines creſcēdi finem faciunt in longum circa annum viceſimum primū, in latum circa vigeſimum octauum, in virium complementum circa trigeſimum quintum, qui medio ferè vitæ curſu interiacet, indè ad finem vſque vitę virium robur paulatim concidit, totiúſque corporis moles marceſcit atque ad interitum properat.

De Corporis interitu.

CAPVT IX.

CVM vita ſit vnio animæ cum corpore, quorum vincula, ſicuti in principio diximus, ſunt ſpiritus & humidum primigenium, quibus calor naturalis facultatum animæ opifex fouetur, nutritur & reſidet, contrario ſenſu mors erit ſeiunctio animæ à corpore per ſpiritus exhalationem aut ſuffocationem, per humidi primigenij conſumptionem aut ametriam, per caloris naturalis extinctionem, aut remiſſionem, ſiue id naturæ legibus fiat, ſiue præter conſtitutum ab ea ordinem. Quocirca duo occurrunt prima mortis genera, vnum certum & ineuitabile, quod naturale appellare placuit, cuius legibus vel inuiti colla ſubmittunt, ſiue qui omnium gentium populos ſibi ſubiicere & legibus aſtringere contendunt, ſiue etiam qui ipſorum legibus parere,

pauperes & diuites, priuati & principes:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres : ait Horatius.

Non enim ſi Æſculapius ipſe ὑγίειαν ἀγῶν χρυσίαν illis accederet totiuſque vitæ curſum moderaretur, nõ poſſet tamen eos à naturæ legibus abſoluere. Ad hanc igitur naturalis obitus neceſſitatẽ omnes properant, ſed pauci, quos æquus amauit Iupiter, eum, qui extremo aduenit ſenio, humidi non ſolum alimentarij, ſed etiam radicalis cõſumptione paulatim facta, aſſequuntur. Quotus enim ille, qui non cupediæ & libidini inſeruiens filum vitæ ſibi non obtruncat? Aut quem mors præmatura incurſantium morborum aduentu præueniens non de ſtadio vitæ deiiciat? His adde tot incommoda præter fatum ab hominibus ſibiipſis conquiſita, bella, cædes & venena, item tot repentinos caſus & fortuitos, tot Eumenides in tenebris graſſantes, quas nemo niſi prudẽs & ope fultus diuina declinare poteſt. Ab his igitur ſecundum mortis genus, quod præter naturã appellamus, ſtatuendum eſt, incertum, euitabile tamen prudentia, declinatione & diuini numinis protectione. Huius bifaria eſt diuiſio in accidẽtariam & violẽtam: violẽtæ rurſus in quæſitam & fortuitã. Accidentaria eſt, quæ per morbũ vincula vitę abrumpit, ídq; duobus modis, aut ex caloris intẽſione eiuſdémve remiſſione, aut ex humidi quoq; intẽſione eiuſdémve remiſſione: nam res ſingulæ ad periodi metã propius accedũt, quo calidi & humidi propior eſt temperies. Priori modo intenditur calor inſitus elementari, febrili, feruida aëris cõſtitutione, cibis calidis, vigiliis, exerci

exercitatione forti, incremēto bilis, excandeſcētia & ſimilibus: remittitur idem contrariis de cauſis, aqueo prædominante elemento, ἀτονίᾳ iecoris, frigida aëris & ciborum conſtitutione, ſomno, otio, cacochymia pituitoſa, & metu. Secundo modo intenditur humidum primigenium aëreo prædominante elemento, vita geniali, temperata aëris & ciborum cōſtitutione, ſomno, otio, ſanguinis vbertate, plethora & gaudio: remittitur terreno prædomināte elemento, ſynthesi, ſicca aëris & ciborum cōſtitutione, vigiliis, exercitatione forti, cacochymia melancholica, inanitione & triſtitia. His igitur de mediocritate recedentibus, *Optima quæque dies miſeris mortalibus æui Prima fugit, ſubeūt morbi triſtiſq́ſenectus.* Ad quæ præcauēda maximè cōferet ſecunda huius enarrationis pars, in qua ſumma ὑγιείας capita cōplexi ſumus, reliquiq; medicorum libri, qui ſunt de ſanitate tuenda: mediocritas autem conſeruatur ſimilibus, exuperātia contrariis ad mediocritatem reducitur. Violenta mors eſt, qua moriuntur βιοθάνατοι, hoc eſt illi, qui dicūtur ante diē ſuam oppetere mortem: huius duo ſunt rurſus genera: vnum, quod prȩter fatum à miſeris mortalibus ſibi ipſis conquiſitum eſt, de quibus Homerus:

Ὢ πόποι! οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται,
Ἐξ ἡμέων γάρ φασὶ κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
O facinus! mortale genus nos numina primùm
Incuſat, cauſamq; putat fontémque malorum,
Quæ veniunt, ſua ſed pereunt ob facta nefanda,
Cum præter fatum ſibi ſponte incommoda quærant.

In quo genere ſunt, qui vitæ ſocietate violata

condigna morte perimuntur: deinde, qui quoquomodo manum violentam animi impotentia, aut alterius vitæ deſiderio ſibi intulerunt, quibus proximè accedunt, qui duello lites leuiſſima de cauſa ſubortas dirimunt: poſtea, qui ſtipendio conducti externis principibus magis pecuniarum quàm iuſtitiæ gratia inſeruiunt. Denique, qui ſe pro patriæ legibus & libertate in belli diſcrimen offerunt. Horum poſtremorum ſola mors laudabilis, quæ, velut commutatio vitæ, dux in cœlum magnanimos viros euehat. Itaque quantò iſtorum mors eſt laudibus celebrior, tanto illorum exitu deteſtabilior, proindéque honeſtate vitæ, & diſciplinæ ſeueritate è morali philoſophia prælibatis declinanda. Alterum violentæ mortis genus eſt, cuius cauſarum ignoratio fortuitum nomen effinxit, neque prudentia, neque declinatione vlla euitabile, ſed ſolius numinis protectione, cuiuſmodi ſunt ferarum occurſus, inimicorum inſidiæ, caſus repentini, & ex improuiſo parcæ malignæ. Hîc ſi quis à me quærat, cur hominem τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἄγαλμα, deorum interpretẽ, rerum omnium menſurã, vniuerſi exẽplar, naturæ delicias, auguſtum Dei templum, eiuſq; admirandũ opificium ad optabilem ſenectutis portum accedere tot impedimenta remorẽtur? Huic ego Homericum illud reſpõdebo:

Ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ,
Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται.

Eſt enim quædam potentia malefica per omnes humanæ vitæ functiones furibundè aduolans, quæ homines infortunio ſemper afficere gliſcit, humanæ ipſa vitæ exitium nunc dirum, nunc noxium & in-

commodum inducens: hanc Græci Aten Stygij Iouis filiam natu maximam, Latini Noxam, Hebræj Satanam appellauerunt. Res enim ſingulæ aut propter naturas inter ſe diſcrepantes, vt ignis cum aqua, aut propter prædam & cibum, vt ardeæ cum piſcibus, aut propter antipathiam, vt Galli cum Leone, aut propter illa tria ſimul, vt hominis cum homine, quia homo homini Deus aut Lupus, ὁμοῦ φῶς γὰρ ὅλος καὶ ἀνθρώποις ἐπίχαρος, ὁ δ' ὀρνὸς, αἴολος, ἄληρης καὶ κακοπράγμων, quorum poſterior pœoniam manum requirit, vt luxata iuſtitiæ membra in ſuos artus redeant, extremum malum & morti ferè æquiparandum, auerſus quod hominibus vna cuſtodia pietas. Pium enim virum non malus genius, non fatum ipſum deuincet. Deus enim liberabit eum eripiétque ex omni malo. Trimegiſtus.

De animæ immortalitate:

CAPVT X.

QVIA immortalitas animæ tanti eſt in vita humana momenti, vt eius ſpe ſublata non tãtum religio funditus ruat, ſed etiam minus iucũdè liceat extremam vitæ periodum claudere, nõ alienum erit à propoſito, ſi in ſenum gratiam paucas de immortalitate animæ demonſtrationes hîc ſubiecero, vt aliquid à morte ſupereſſe credentes generoſiſſimè pietatẽ & probitatẽ colant, atq; extremum vitę actum, tanquã boni poëtæ, haud neglectum relinquãt. Prætereo hîc prudens & ſciens infinitas propemodum cum rationes tum auctoritates è locupletiſſima philoſophiæ penu depromptas, vnã fidem Chriſtianam

amplexurus, quæ inſtar omnium rationum, & auctoritatum mihi eſſe poteſt. Ne autem videamur tanti momenti negotium magis veterum, quàm noua rationum meditatione diſcutere, duabus illud, quatenus feret animi noſtri tenuitas, expendemus demonſtrationibus, quorum prima eſto huiuſmodi.

Hoc ita à natura comparatum eſt, *συντέτακται γὰρ τὸ χέρηον ἕνεκα τῶ βελτίονος* autore Theage Pythagoreo, vt res quæque, quo ſunt dignitate reliquis inferiores, eò ſint præſtantiorum obſequio paratiores, cuiuſmodi elementa terræ frugibus procreandis, terræ fruges animantibus alendis, animantes hominibus iuuandis, auxiliari partim labore, vt equi & boues, veſtiario partim opificio, vt lanigeræ pecudes. Item eadem quoque elementa arboribus producendis, arbores ædificiis conſtruendis, ædificia hominum habitationibus. Item rurſus eadem elementa plantis excitandis, plantæ medicamentis componendis, medicamenta ſanitati tuendæ aut reſtituendæ. Item eadem conſimiliter elementa metalla ſubminiſtrant, quibus inſtrumenta in varios vitæ vſus parantur, inque manus munitiones, eſt enim manus inſtrumentum inſtrumẽtorum, ſicut anima hominis forma formarum. Eadem ratione facultas naturalis animalis eſt gratia, pulmo cordis, ventriculus iecoris, cor & iecur totius corporis, corpus animæ, anima mentis, mens Dei omnium ſupremæ naturæ. Quare tam latè patet huius propoſitionis veritas, vt non alia luce quàm proprio fulgore ſit conſpicua. His poſitis conſequitur res caducas

ducas & mortales æternarum gratia eſſe conditas, non contrà. Iam verò ſi ex hac terrenorum fæce animum ad ſempiternam cœlorum naturam, orbiumque indefeſſas circumuerſiones attollamus, quid ſenſiendum eſſe dicemus de homine, propter quem quotidie immenſa cœlorum moles cum ſuarum ſpherarum multiplicibus circulis in tam breui temporis ſpatio totam circuit terram? Ne autem vna eademque circumuerſione benefico ſolis lumine reliquorumque planetarum influentiis paucæ terrarum ſubiectæ partes aliæ ornarentur, aliæ priuarentur, in aduerſam inclinantis mundi plagam erronum motus admirabili naturæ prouidentia per obliquum feruntur circulum, vt lucis & influentiæ diſpenſatione vniuerſam terram fœcundarent, caloris & frigoris vices ita modificarent, ne aſſidua vnius præſentia alterius indigentiam procuraret, eſſentque minùs ſementi & meſſi, ſationi & vindemiæ tempora accommoda, cæterarúmque rerum productioni, ſine quibus homo huius elementaris regionis non fieret incola, aut ſaltem non poſſet diu conſiſtere. Atqui natura illa eſt incorruptibilis, quantò igitur magis mentes hominum, quibus illa ſempiterna inſeruiunt. Hæc enim ſubiectam propoſitionem veriſſimè conſequuntur, cum nihil ſit in elementorum regione homine præſtantius, cuius gratia mundum à ſummo omnium rerum opifice creatum credibile eſt.

Altera demonſtratio petitur ex iis naturis, quæ ab vno extremo ad aliud non feruntur niſi dato certo medio. Veritas autem huius propoſitionis quàm

latè

latè ſit per vniuerſam naturam diffuſa epagogica ratiocinatione demonſtrari poteſt, quæ data & cōceſſa, dubitationi non relinquitur locus, ſed conſtanter affirmandum, mentes hominum eſſe immortales. Vt autem à minimis inductionem ordiamur, defigamus oculos in limum, cuius natura inter aquam & terram eſt media: vaporis inter aquas & aërem: exhalationis inter aëra & ignem: ætheris inter ignem & cœlorum eſſentiam. Item argillæ inter limum & lapides: cryſtali inter aquas & adamantes: hydrargyri inter aquam & metalla: Pyritis inter lapides & metalla: coralli inter ſtirpes & lapides. Item Zoophyti inter ſtirpes & animātes: amphibij inter aquatiles & terreſtres: hermaphroditi inter mares & fœminas: Ichthyopteri inter aquatiles & volatiles: veſpertilionis inter volatilia & reptilia: Item hominis inter belluas & mētes ſempiternas: quæ media cum vtriſque extremis mutua ſocietate conſpirant. At ſempiternæ mētes ſunt naturę immortales: ergo homines vtriuſque naturę participes, caducę, videlicet, & ſempiternæ, erunt immortales. Quò autem pleniùs vis huius demonſtrationis intelligatur repetenda ſunt, quæ in ſecūdo capite primę huius partis adſcripſi, videlicet mediam quandā eſſe inter formas omnino à materia abſtractas, & eas, quę penitus ſunt in materia immerſæ, quæ ita non ſit penitus abſtracta, vt corpori inſeri non poſſit, neque corpori ſic demerſa, vt aliquando emergi non poſſit, quæ quidem communio nec Dei nec brutorum animantium naturæ competit, quare concludēdum, hanc ad hominem tātùm pertinere, eáque ratione eſſe immortalitatis participem.

DE

DE AFFECTIBVS SENVM PRÆCAVENDIS, ILLISQVE CVRANDIS pars ſecunda.

IN QVA DE CAVSIS EXTERNIS DIVTVRNIORIS ET BREVIORIS VITÆ AGITVR.

Primóque, De duplici caloris naturalis diminutione.

CAPVT I.

FACVLTAS igitur vitæ noſtræ gubernatrix, ſicut in præcedenti libro diximus, calor innatus appellatur: nam quicquid vitam agit, ſalutari illo calore continetur, cuius præcipua, ſubiecta & indiſſociabilis materia humidum primigenium exiſtit, hoc eſt ſeminalis, ſimúlque aëra & oleoſa ſubſtantia, ex ſanguine perſeuerantiam obtinens, quemadmodum ex lignis, qui in foco eſt, ignis. Hæc autem, ſi iacturam acceperit, haud reſarcitur, à ſemine enim deriuatur, veluti carnoſa ſubſtantia à materno ſanguine inter ſeminis villos & ſtamina ſenſim influente, illicque concreto. Ab eorum vtroque facta ſub-

ſtantia moles eſt partium ſimilarium.

Stamina illa ex humido liquidóq; ſemine creata diuturnitate magis magíſque ſicceſcunt, dum ad extremum ſenium, quod aridiſſimum eſt, veniűt. Sicuti enim in ortu ſummus eſt tum calor, tum humor (ſummus, inquam, quamuis appelletur, temperatus tamen exiſtit) ſic ætate progrediente eorum vterque diminutioñe patitur, & ſenſim vi caloris membra ſicceſcunt & caloris obtuſione frigida euadunt. Calor enim non per ſe, ſed ex accidente ſeipſum deſtruit, quoniam ſuo exhauſto pabulo, quod humidum eſt primigenium, & ipſe vna marceſcit, qui dum conſeruari & perfici naturaliter deſiderat, ſemetipſum conficit & interimit, quæ cauſa potiſſima interitus naturalis exiſtit. Verumenimuerò præter naturam multoties præuenit caloris innati non ſolum diminutio, verùm & deſtructio, partim ſcilicet à viuendi ratione, partim à ſpiritu, hoc eſt ab aëre, cuius attractione viuimus. Nam ambientis feruor dum corporum ſpiramenta laxat, & interiores tum ſpiritus, tum humores foras elicit, neceſſe eſt ſubſtantiæ caloris plurimum in confinem aerem defluere, atque diſſipari, exiguum verò intus contineri. Ex frigoris etiam ſæuitia plurima animantia extincto calore de vita decedunt: immo & inter homines multi ex hominum vita demigrant, aut ſine ſenſu & motu iacent. Prætereà, qualem ætatis decurſio adfert calidi noſtri commutationem corruptionémve, talem exiſtimandum ex aeris varietate obuenire, propter ineuitabilem inſpirationis neceſſitatem, quam na-

turali

turaliter homines habent cum reliquis animantibus.

De aeris differentiis, & differentiarum cauſis ſecundùm diuerſos regionum ſitus.

CAPVT II.

QVA de re ſanorum corpora & multò magis ægrotantium, iuxta aeris ſtatum alterantur. Aer enim alius in qualitate temperatus, alius verò congrua temperie carens: ille ſubtilis, exactè purus, clarus, odore ſuaui præditus, non calidus, qui ſudorem, non frigidus, qui corporibus rigorem prouocet, ſed qui citò in frigidum, quum ſol occumbit, & in calidum ad eius ortum immutatur, robur ſingulis præſtans viribus, humores, ſpirituſque clarificans, necnon concoctionem adiuuans. Talis autem fuerit is, qui non ex ſtagnorum, aut paluſtrium locorum euaporatione turbatur, neque ex barathro venenoſam auram ſuſcipit. Qui verò extra temperiem exiſtit, aut in qualitatibus, aut in ſubſtãtia coinquinatus redditur. Aeris immutatio ſecundùm qualitates, tum propter regionem ipſam, tum anni tempus, tum ob præſentem cœli ſtatum, hoc eſt, particularem eiuſque præſentem temperiem prouenire poteſt. Alteratur ſiquidem aer à diuerſa regione, prout ad orientem, vel occidentem, aquilonem vel auſtrum expoſita eſt. Regionem enim ſecundùm ſolis acceſſum æquè atque receſſum variari pro comperto habetur. Orientalis igitur pars temperata exiſtit: ſol etenim ſuper eam quotidie oriens,

& ab ea ſingulis ſegregatus diebus, haud in illa calorem algoremque operari inſigniter patitur, cum ipſe non diu, vt multùm calor vigeat, immoretur, neque tam breui temporis intercapedine, vt ſua abſentia frigus vires colligens temperiem ſuperet: quocirca clarum habet aëra & ſiccum, neque in frigidum, neque in calidum admodum excedentem. Aquæ eius non ſalſæ, nec turbidæ, ſed claræ, ſuaues, non ſolùm, quæ à cœlo cadunt, verùm etiam, quæ è terra ſcaturiunt, propterea homines, qui eam incolunt regionem, pulchri, ſani, bonis moribus præditi videntur, & re ipſa ſunt. Ventus igitur (qui quidem nihil aliud eſt quam terræ ſiccus vapor) ab hac flans parte, ad æquale ferè accedit temperamentum: parum tamen ad calidum & ſiccum declinans: propterea corpora ſub illo malè affecta minimè euadere, ſed ſalubria ſeruari, quotidie inſpicimus.

At auſtralis terræ ſectio, quæ à ſiniſtris ortus eſt ſolis, dum faciem verſus occidentem conuertimus, calida humiditate cõiuncta dubio procul exiſtit: calore quidẽ afficitur, propter ſolis ſuper eam deſcenſum radiis ad perpendiculum magis ferientibus, humiditate verò ob humidum vaporem à mari, cuius magna opprimitur portione, eleuatum. Conſentaneum igitur eſt, illius ſectionis ventos, nõ ſolum calidos, verum & humidos eſſe, qui quidem corpora (neruos præſertim) laxare, humores, ſenſus atq; ſpiritus turbare queant. Hanc ob rem plurimos pariũt morbos, auditus nempe grauitatem, viſus caliginem, capitis dolorem, epilepticos affectus, ſegnitiẽ vnâ cum motus imbecillitate: cerebro nempe ingẽti

repleto

repleto humore enarrata accedere ſymptomata dubio procul exiſtimandum. Quinetiã à capite ad ventriculum pituitoſi humores producti, inappetentiæ, prauæq; coctionis cauſæ fiunt, hinc qualitatum exceſſus, putredo, & è conſequenti, innati caloris extinctio. Quinimo ſalſa ac turbida aqua per eam decurrit partem, & qui in illa degũt, malè coquũt, eorumque calor perfacilè diſſoluitur, ac propter capitis imbecillitatem ebrietati ſine difficultate obnoxij ſunt, ſæpiúſque Hæmicranea tentantur, illi præſertim, qui ad quinquageſimum annum peruenerunt, præ cæteris ætatibus.

At his prorſus aduerſa, quæcumque à dextra ſolis ortus parte, ſeptentrionalem intelligo, fieri inſpicimus. Nam cum frigida ſit & ſicca ob remotiorem ſolis curſum, eóq; magis, quò propiùs à polo receſſit, ab ea flans ventus frigidis ſiccíſque qualitatibus aera perfundit, vnde nil mirum videri debet, ſi corroborandi, atque corpora firmandi vim habeat, ac ſpiritum clarum, necnon humores puros efficiat, cerebrum immune ab excrementorum exceſſu cuſtodiat, ſenſusperſpicacitatem, motus, appetentiæ, coctionis præſtantiam augeat, fluxionẽ cohibeat, corpora denſet, calorem innatum ad interiora vertat, vnde virtutes roborantur omnes.

Occidentalis autem regio non multum à recta temperie recedit, paululum nempe ad frigidum & humidum accedens, non vt orientalis corpora ad vnguem ſalubria ſeruat, ideo, ab illa flans parte fauonius, regionis temperamento ſimilis, non prorſus ſalubris iudicandus venit: radius enim ſolis eam ſuper

partem haud ita peruenit, vt aerem clarificare aquaſque rectè excoquere valeat: ideò autumnali tempeſtati non admodum diſſimilis, ſicut plaga orientalis veri, auſtralis æſtati, Borealis Hyemi cenſetur.

Quinetiam aer à diuerſa regionis natura alteratur, prout in concauo aut ſublimi ſita fuerit, aut ex ſe ſulphurea, argiloſa, aluminoſa, paludoſa, petroſa, iuxta mare aut flumen, montes aut alia ſimili ratione diuerſa, inſitiſque expirationibus obnoxia, aut aſcititiis infenſa, putridis veluti oleribus, aliiſque corruptis corporibus, quorum halitus per aera diſſeminati longiſſimè transferuntur, primoque ſpiritus, deinde humores tandémque corpora tabe abſumunt. Quare authore Aetio, aer, qui in humilibus regionibus purus eſt, accommodatior ſenibus & animo delinquentibus, quàm alius.

De aeris differentiis & differentiarum cauſis ſecundùm tempora.

CAPVT III.

IDEM conſimiliter accedere intelligitur, dum temporum ſucceſſio præſcriprum naturæ ordinem non ſeruauerit: hyems, videlicet, calida & ſicca, æſtas è contra frigida & humida: ver frigidum & ſiccum, autumnus calidus & humidus. Hic temporum inuerſus ordo hominibus perniciem affert, quæ nonnunquam etiam in herbas, arbores & conſequenter in eorum fructus ſe communicat, vnde formam & ſaporem nō ſine hominum læſione amitte

amittere videntur, quorum corruptioni non ſunt tamen omnes obnoxij, niſi qui praua victus ratione iam ante corpora habent his malis accommoda.

Sed tamen multum ponderis & momenti ad rem inſtitutam obtinet, ſi intelligamus, fieri non poſſe, etiamſi anni tempora ex præſcripto naturæ ordine alia aliis ritè ſuccedant, quin aeris nos ambientis quædam fiat alteratio, quæ paulatim in ſpiritus noſtros proreptans in humores & partium temperamentum ſeſe inſinuat, vnde non leuiter permutatione & diſſidio afficiuntur: nam in ſingulis anni partibus ſinguli vigent humores: ſiquidem hyeme pituita redundat, frigiditas porrò in illa excedens non aliunde prouenit, quàm à diſtantia ſolis à noſtro vertice, cum humilis paucóque tempore ſupra terram fertur, humiditas verò ob pluuiarum multitudinem. Sanguis Vere inter humores ſuperat, eo enim tempore elementares qualitates ſingulæ ferè æqualiter ad mediocritatem accedunt, propterea ſaluberrimum ab Hippocrate iudicatur: nam ſanitas in mediocritate conſiſtit, ſic veris temperies in æquali ſolis ab vtroque polo receſſu. Porrò humorum æqualitas, ſi inter ſe conferantur, in ſanguine reperietur, cuius generationi ver eſt tempus accommodatiſſimum. At æſtate bilem inter humores ſuperare non eſt qui velit contradicere: ſiquidem ſol caloris auctor cum prope ad verticem noſtrum accedendo diem longiorem efficit, diutius quoque immorando radiis perpendicularibus plus aut minus aëra incendit, corpora calefacit, atque deſiccat. In autum

autumno verò bilis atra dominatur, quo tempore rurſus elemẽtares qualitates ad mediocritatem recederent, niſi iam æſtiuus calor inſitã humiditatem deſiccaſſet, propterea inſalubris & exitialis ab Hippocrate iudicatur, cóque magis, quò cęteris inæqualior temporibus exiſtit, in calore nempe ac frigore. In duabus enim extremitatibus diei aër frigidus, in medio autem ad calorem declinat, & ſic cum circumfuſi aeris ſtatu vnâ animalium corpora afficiuntur: nam quali aer temperie afficitur, tali etiam nos afficit, fiũt itaque morbi pro ratione cuiuſque temporis, ſimilitudinem cum natura ſucci exuperantis, vti ipſa tempora, propriam ſeruantes. In ſumma, quicunq; temperata ſunt ętate, bene habent temperato anni tempore: qui verò intemperata, à contrario anni tempore intemperato melius habent, quemadmodum docuit Hippocrates, apho. 18. ſect. 3. his verbis: καὶ δὴ τὰς ὥρας, &c. Verùm tẽporum iam dicta ſecũdùm naturam ſucceſſio, haud multùm diſcriminis corporibus affert humanis, cum perfacilè victus ratione corrigi valeat, contrà verò cum ambientis aëris alteratio præternaturalis exiſtit.

De aëris differentiis ob præſentem cœli & ſoli ſtatum.

CAPVT IIII.

ALTERATVR enim aër præter naturam tribus modis, aut quia excedit qualitatum naturalis ſecundum tempora conſtitutio, vel eadem inuertitur, aut aëris ſubſtantia corrumpitur. Primo modo, quam

quando æſtas calore & ſiccitate exuperat, aut hyems humore & frigore, & ſic de reliquis, in quo genere morbi qui ſuccedunt per tempora minùs periculoſi. Secundò, quando æſtas hyemis naturam induit proque calido & ſicco temperamento frigidum & humidum, hyems contra pro humido & frigido calidum & ſiccum nacta eſt. In quo genere morbi maiorem generi humano perniciem inducunt, de quibus vide aphoriſ. 11. 12. 13. 14. ſect. 3. Poſtremò, cum ex aſpectu ſyderum malefico, aut maligna ſuperiorum naturarum irradiatione, prauis vaporibus aut exhalationibus, à regionis, vt dictum eſt, proprietate ſubſtantia aëris corrumpitur. Aër enim petroſis circumfuſus locis, hyeme quidem frigidus, æſtate æſtuoſus euadit: malus eſt etiam qui ex metallis exhalat: qui verò ex argiloſis ſtomachum exoluit: at ex locis terræ flauæ magis priore ſiccat: optimus autem eſt ex terra nigra. Quinetiam exhalationes ex terra obortę aërem immutant, ſi quidem modica & tenuis fuerit, vapor nubiloſus generatur, ſi verò amplior & craſſior, caliginoſus, ſi verò adhuc craſſior, tenebroſus, plurima verò ac craſſiſſima humiditate exhalante vapor diffunditur in ambientem roſcidus. At ſiccior exhalatio ventos, vt diximus, facit, qui omnes locorum, vnde ſpirant, naturam induentes violento motu aëra quatiunt inficiuntque qualitatibus morboſis aut ſalubribus ſecundùm naturam loci & temporis. Ex his conſtare poterit, quæ loca, qualíſq; aër noſtrum abrumpere calorem innatum, qualiſque eum tueri & ad vltimum ſenium perducere queant.

De aquarum differentiis, & differentiarum cauſis.

CAPVT V.

IVXTA terram quoq; ac regiones plurimæ aquarum fiunt differentiæ, quas omnes cognitas habere ſenibus expedit, cum aquæ in omnem ferè humanæ vitæ vſum haud minùs quàm aër & locus requirantur: nam citra aquam, neque alimentum, neque quicquam aliud commodè coqui poteſt. Fontanæ igitur aquæ, quarum ſcaturigines ad Septentrionẽ erumpunt, Solem auerſum habent, ideo incoctiles, nec facilè permeantes iudicantur, & eæ maximè, quæ ex petris ſtillantes per decliuia nemoroſa excurrunt. Quarum verò fontes ad orientem erumpunt, & per meatum & terram puram excolantur, & quæ caleſiunt ac frigeſiunt citiſſimè præ aliis eligendæ, niſi è cloacis vitia illis accedant. At puteana frigida ac terrea eſt, ægrè coquitur difficilcque excernitur. Fluuiales autem aquę malè, & eæ maximè quæ ex niuoſis montium iugis decurrentes præcipiti lapſu ſe ad lacus effundunt. Minoris tamen prauitatis aqua magnorũ fluminum fuerit, ſi è medio hauſta flumine, vbi præſertim fluxus concitatior, in variis vaſis per quatuor ad minus dies reponatur in vſum. Minoris quoque prauitatis ſunt fluuij, qui de fontibus perennes fluunt, aliiſq; non miſcentur aquis, quàm qui aliter ſe habent. Stagnorum verò aqua propter cœnoſam circumferentiam limoſa & grauis eſt, necnon propter quietem

velut

velut mortua reiicienda. Optima igitur, vt paucis rem expediam, quæ guſtui grata eſt, citò caleſcens ac frigeſcens, facilè carnes aliaq; omnia coquens, clara ſuauis, verſus orientem ſcaturiens, lucida, leuis, nullius odoris, æquè atque ſaporis, ventriculum haud grauans, ſuper nitidos decurrens lapillos, hyeme calida, æſtate frigida. Pluuialis item ſi leuiter fuerit percolata: pluuia etenim, maximè quæ cum tonitru deſcendit, aquarum pars ſubtilior exiſtit à ſole in ſublime rapta deinde vi aeris deorſum effuſa. Bona eſt etiam quæ lixiuium haud perturbat. Quæcunque verò aquæ aſtrictionem, ſalſedinem, craſſitiem aut aliquid ſimile in guſtu detegunt, malæ: malæ etiam, quæ graue olent, quæ concretionē innatantem, aut ſedimentum, fœtidum, ſolidumq; habēt. In hoc genere numerantur, quæ inſtar lapillorum æreis vaſis adhærent, aut hyrudines nutriunt, aut alia animalia, velut ſtagnantes, paluſtres, metallicæ, aluminoſæ, ſulphureæ, aut quæ per plumbi canales ducuntur. Item vicinæ balneis calidis, nitroſis, ſalſis & ſimilibus. Salſæ enim ventrem molliunt, per longam verò temporis intercapedinem hauſtæ aſtringunt atque deſiccant, pruriginem æquè atque ſcabiem excitant, renibus item & veſicæ ſunt ſatis incommodæ.

His itaque, tanquam propoſito negotio neceſſarioribus, prælibatis, aere nempe, aqua & loco ab Hippocratica & Galenica doctrina, cæteríſque poſt Hippocr. & Galenū principibus medicis, excerptis, nunc ad principaliorem veniendum eſt ſcopum, qui de ſenū affectibus præcauendis atque curādis locos

aliquot continet. Quod ſanè facilè aſſequemur, ſi diuini ſenis aphoriſmum in medium adduxerimus, cuius ſunt hæc verba:

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι δύσπνοιαι, κατάῤῥοι, βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνοίαι, κοιλίης, ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, καὶ βαρυηκοΐαι.

APHORISMO XXXI. SECTIONIS TERTIAE.

*Senibus,*inquit,*ſpirandi difficultates,diſtillationes cum tuſſi,ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores,renum paſsiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ,alui, oculorum & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.*

ANNOTATIO.

Sed, vt prędicti affectus luculētiùs oculis ſubiiciantur,reliquique ab Hippocrate omiſſi,ſequentem tabellam ereximus.

- **Senectus morbus**
  - Naturalis, cuius affectus ſunt
    - Corporis ab Hippocrate
      - Enumerati in aphoriſmo vltimo ſectionis 3.
        - Senibus, inquit, ſpirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſi, ſtillicidia, & vrinæ difficultates, articulorum dolores, rennm paſſiones, vertigines, apoplexiæ, cachexiæ, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.
      - Omiſſi in prædicto aphoriſmo.
        - A cauſa frigida ſenibus magis quam iuuenibus familiares Febris quotidiana, tremor, difficilis ſternutatio, ſeminis penuria, dentium vitia, ſermonis corruptio, vox acuta & tremula, caro liuida, rugoſa, cadaueroſa, oculorum inflatio, canities, memoriæ caſus.
        - A cauſa calida iuuenibus magis quàm ſenibus familiares, vt febres acutæ, quibus tamen rarò laborant, ſed cum magno vitæ periculo: item inflammationes viſcerum, mors extrema linea rerum, in vltimo ſenio plerumque ſine febre & dolore.
    - Aut animi ab Ariſtotele obſeruati.
      - Boni
        - Quia ad modeſtiam & ſapientiam idonei.
      - Mali
        - Quia accuſandi magis quàm defendendi, vtilium quàm honoris ſine ſtudioſi: item quia triſtes, moroſi, inuerecundi, loquaces, iracundi, querruli, malitioſi, ſuſpicioſi, increduli, puſilanimes, illiberales, timidi, &c. de quorum affectuũ cauſis vide Ariſtotelem Rhetoric. ad Theodectem lib. 2. cap. 13. quorum præcautio petitur à prioris ætatis recta inſtitutione præceptiſque moralibus, aliàs in habitum conuerſi ſenectutẽ cauillandi comicis cauſam donant, vt videre eſt in Veſpis Ariſtoph. & aliis.
  - Præter naturam, quæ ex acutis iuuenum affectibus in Hecticam commutatis prouenit, de cuius remediis vide Trallianum lib. 11. cap. 4.

De differentiarum cauſis in morbis ſenum & iuuenum.

CAPVT VI.

IVVENES plerumque iiſdem cum ſenibus corripiuntur affectibus, non eadem tamen ratione, cùm aliàs aliter affectuum ſtatuẽdæ ſint cauſæ. Nam calor inſitus corrum pitur extinctione & marcore: extinctione quidẽ à contrariis, frigido videlicet & humido, velut ignis aqua, cuiuſmodi tã ſenis quã iuuenis calor extinguitur: marcore verò à penuria nutrimẽti, velut oleo lucerna, cuiuſmodi tãtũ ſenibus calor naturalis marceſcit, aut alieno calore accedẽte, vt ignis in ſole, cuiuſmodi tãtùm iuuenibus calor naturalis ab aduẽtitio ex potu & alimẽtis, conſtitutione aeris calida, exercitatione forti & excandeſcẽtia auctus, tandem proſtratur atque in tenues auras euaneſcit, vnde habitus corporis frigidior factus, morborum ſenectutis conditionẽ pariter induit. Cõtrà verò vbi iiſdem de cauſis ſenilis corporis habitus incaleſcit, calore in ſubiecto denſiore hærente, periculi plenum, nam cauſæ immanitatem ſignificat, quæ frigidum corpus in flammam arripit, etiamſi incendium nõ ſit per ſe tam calamitoſum, quàm virium effœtarũ ratione ac extra naturæ lineam longè abducta temperie, vt patet in affectibus pulmonũ, pleuritide, peripneumonia, febribuſque validioribus, quibus ſenectutis vires tandem ſuperantur. Sed de his hactenus, cum in poſteriori parte huius enarrationis differentiarum cauſæ fuſiùs patebunt.

De ſenectutis differentiis & affectibus.

CAPVT VII.

DVPLEX eſt ſenectus, vna naturalis, altera præter naturã. Senectutis naturalis auctore Galeno lib. 5. de tuenda valetudine tres ſunt differentiæ: prima eſt eorum, qui ὁμογέροντες, ſiue viridi ſenecta præditi, dicuntur, quod nimirũ ciuilia adhuc obire negotia queant: eius initium eſt annus quinquageſimus, multis verò robuſtioribus L V. & durat ad L X. aut L X V. Secunda eſt eorum, qui ciuilia munia propter virium imbecillitatem haud ſine difficultate obire valent: hæc incipit anno L X. maxima ex parte: Aliquibus verò, L X V. & protenditur in L X X. aut L X X V. Tertia in qua magna eſt virium imbecillitas, orditur anno L X X. aut L X X V. ac vſque ad vitæ finem perdurat. Non tamen in ſingulis ſenectutis differentiis hos tantùm cõmemoratos affectus licet intelligere, verũ etiam in reliquis ætatibus, quarum ſingulæ caloris diminutionem his affectibus teſtãtur, & maximè ſenilis, quę facilè frigida cœli intẽperie frigidis affectibus corripitur, neruorum reſolutione, ſtupore, &c. vt docet Galenus in præcedentis aphoriſmi commentariis, & libro ſecundo de temperamentis. Cum autem duplex ſit caloris imminutio, naturalis, quam ne Æſculapius ipſe euitare potuit, & adſcititia, enitendum eſt quàm diligentiſſimè, vt recta victus ratione hanc poſtremam impediamus, quod ſanè facilè

facilè aſſequemur, ſi præter ea, quæ ſunt modò à nobis commemorata, aëris, loci & aquæ incommoda, omnem incongruæ vitæ ſortem, in reliquis rebus non naturalibus abrumpamus, ſiue æſculenter potulentaque nobis ſint ingerenda, ſiue extrinſecus balneorum vſus ſit admouendus, aut corpus exercitandum, aut ſomno & otio indulgendum, aut animi pathematibus renitendum: nam intempeſtiuus aut immoderatus rerum commemoratarum vſus non tantùm corpus de virium integritate decedere facit, ſed etiam magnam humidi primigenij iacturam & caloris inſiti diminutionem inducit. Altera ſenectutis ſpecies ex acutis Iuuenũ morbis in hecticem commutatis prouenit, de cuius remediis (eſt enim illa curabilis) vide Traliani lib. 11. cap. 4. Quoniam verò in ſenum gratiam præſentem ſuſcepimus laborem, quomodo his rebus ſenibus ſit vtendum, breuiter enarrabimus. Deinde ad commemoratorum affectuum therapiam accedemus.

De Balneorum vſu.

CAPVT VIII.

CVM igitur corporis eſſentia vnâ cum inſito calido, vt ſuperiùs à nobis dictum fuit, paulatim defluat & animæ inſtrumenta vlteriùs, quàm conueniat, exſiccentur, oportet neceſſariò actiones eius deteriores, tum etiam totum animal excarne, gracilius, frigidius & ſiccius euadere. Quocirca naturalis ſenecta à præſtantioribus medicinæ profeſ-

profeſſoribus definitur ſicca & frigida corporis temperies ex longæuitate accedens. Qua de cauſa humectantibus atque calefacientibus huiuſmodi temperamentum ad mediocritatem quandam & contrariorum modificationem debet reduci, qualia ſunt aquarum dulcium balnea temperatè calida, nam per ſe ipſa humectant & calefaciunt.

At verò in ſabuloſis renum affectibus, mollibus, & lenientibus balneis vtimur, qualia parantur è malua vtraque cum hortenſi, tum ſylueſtri, ſemine lini & fœnugræci, meliloto in ſufficienti aquarum quantitate decoctis. In ſumma temperatè calidum balneum & optimum & tutiſſimum eſt: laſſitudinem leuat, humorum plethoram per halitum digerit & euocat, frigida excalefacit, dolores mitigat, dura emollit, flatus diſſipat, humores, vbicumque decubuerint, diffundit, ſomnum conciliat, membra carne replet. Eſt autem, vt docet Paulus Ægineta, aptiſſimum omnibus, & viro & mulieri, & puero & ſeni, & principi & priuato. Quòd ſi paulò à mediocritate in vtramque partem vel exceſſus vel defectus caloris deflectat, tale nequaquam ſenibus præſcribendum: tepidæ etenim aquæ humectant quidem, quod eſt propoſiti negotij, ſed aliunde refrigerant, quod eſt à propoſito alienum. Si verò plus æquo calidiores fuerint, calida quidem ipſarum vis eſt, non autem ſimiliter humida. Itaque, vt horrore denſatur cutis, ſic calore immoderato meatus in ſe concidunt, vnde neque expirationi fuliginoſæ extra corpus exeũdi, neque humiditati intra corpus penetrandi libera patet

facultas, quare ſolis temperatis balneis, non autem tepidis aut calidioribus ſenibus vtendum eſt. Quomodo, autē quando, quoties & quandiu id factitandum docet Gordonius, nam ex eius ſententia quater in æſtate, tantundem in hyeme, ter in Vere, terq; in Autumno balneum ingredi debent, priùs corpore excrementis liberato leui purgatione, aut naturali alui exoneratione, duabus aut tribus horis ante paſtū, minori aut maiori mora ex ſenis cōſuetudine, & tollerantia præſcriptum.

De potus Electione.

Capvt IX.

QVINETIAM vini generoſi potus ex iis eſt, quæ ſenectutem admodum emendant. Sit autem ex calidioribus natura, quale eſt, quod ſubſtantia quidem tenue eſt, colore autem flauum ad ariſtarum, vel auri nitorem accedente: ſit etiam odoratum & ſuaue: moderatè ſed frequentiùs hauſtum: atque vnum quidem hoc maximum bonum ſenibus ex vino accedit, quòd omnes membrorum partes eo calefiant, ſerum ſanguinis per vrinas moueatur, ſpiritus augeſcant, calor foueatur, carnoſa ſubſtantia fulciatur, vt non immeritò lac ſenum dici poſſit. A nigris autem & acerbis craſſiſq; & ſimilibus vinis ſenes abſtinere oportet, diutiùs enim talia in ſtomacho morantur, propterea incommoda, cum ad excedentis ſeri, quo plurimum abundant, tum ad materiæ calculi ex renibus excretionē, vnde fit vt plurimùm vinis vrinam cientibus opus habeāt, qualia ex melle

parata

parata cũ betonica,ſaxifraga & petroſelinō;quæ non minus podagricis affectibus,quàm calculoſis prodeſſe comperiuntur. Vina quoque alba tenuis ſunt ſuſtantiæ,craſſos humores incidunt & per vrinas expurgant, minùs tamen nutriunt. Dulcia,& ſi aluum ſubducãt, flatum tamen tardè reſoluendum & craſſum generant ſanguinem : his omnibus ſapa magis & vinum nouum talia efficiunt. Dulci verò ſi ſenex vti velit, poſt balneum ſumat dulce ſimulque palidum colore, nam id moderatè craſſum ſanguinem generat. Vina rubra & craſſa ac aſtringentia,& ſi magis alãt, ſenibus tamen propter obſtructionis diſcrimen incommoda minuſque iucunda & conſequenter concoctioni contumaciora,facilè enim coquitur quicquid vnicuique iucundum eſt. At vinum nigrum & auſterum facilè aceſcit & vomitum prouocat , quinetiam auſterum omne ſiue nigrum, ſiue album, ſiue flauum ventrem ſupprimit. Vetus verò tenue, aut cum acrimonia extergit, incidit, ab obturatione liberat, vetuſtiſſimum autem multò id validiùs præſtat proportione quadam ſenili naturæ conueniens.

De cibi Electione.

CAPVT X.

ABSTINENDVM ab eduliis & potibus viſcidum & craſſum humorem gignentibus, qualia ſunt oua indurata, tubera, bulbi, fungi, cochleæ, oſtreorum caro & caſeus. Lac etiam renes lædit, qui apti ſunt ad calculi generationem. Sero tamen alij purgantis medicamenti vice

in æſtate vti poterunt. Piſces ſaxatiles ad coquendum faciles, boni ſunt ſucci, medicè humectant, probè nutriunt, illi prǽſertim, qui non ſupra modum excreuerunt, aut carnis duritiem contraxerunt, in quo genere ſunt parui, ſquammoſi, in mari degentes, vel in fluuium principiis, vel in perſpicua lacuum claritate, non in locis paluſtribus, ſtagnātibus aut cœnoſis. Qui verò teſta conteguntur, ſalſum crudumque humorem producunt. Gobius, qui circa arenoſa ac petroſa littora capitur, bonus à medicis cenſetur, qui verò in fluuiorum oſtiis aut aquis ſtagnantibus degit, neque εὔχυμος eſt, neque εὔπεπτος. Paſſeres, murenæ, niſi in ſtagnis degant, haud prorſus ſpernendi. Omne aliud piſcis genus teſta firmiorę contectum vitandum eſt. In vniuerſum alimenta εὔπεπτα ſunt ſenibus eligenda, ſpecialiter verò attenuantia iis, qui pituitam, crudos humores, viſcoſos ac craſſos coaceruarunt: nam venarum anfractus obſtructione expediunt, viſcoſa attenuant, infarcta expurgant, ac craſſa incidunt. Videndum tamen ne aſſiduo fortiter attenuantium vſu ſeri & bilis prouentum augeamus: quapropter mediis inter attenuantia & incraſſantia alimentis vtendum eſt, in quo genere hordeum connumerant, deinde panem triticeum probè præparatum & clybano coctum: nam panes, furnacei, azymi, etiam ſi ex ſimilagine (quæ quidem medulla eſt triticeæ farinæ) conficiantur, citra periculum ſenibus, præſertim, qui exercitiis dediti non ſunt, necnon aliqua affecti obſtructione, exhiberi non poſſunt. Præſtat enim eis panis ex optimi frumenti

farina

farina, è qua tantùm furfuris pars craſſior ſegregata fuerit propter vis vtriuſque mediam inter attenuantia & incraſſantia alimenta naturam. Quinetiam alica iis, qui iecur obturationi obnoxium habent & renes calculo generando paratos, ineptum alimenti genus eſt. Hac ratione à leguminibus abſtinendum, niſi quis per longius interuallum cicerem, aut lenticulam guſtare velit, quorum cortices exterſoriam vim poſſident. Palmulæ etiam & caſtaneæ craſſi ſunt ſucci, quapropter iis veſcentes, & ſi multùm nutriant, crudis implentur humoribus. Omnia item liborum genera ex ſimilagine adorea aut alia quauis farina præparata obſtruunt, calculos in renibus generant, ventremque ſupprimunt. Hoc idem præſtant lenticula decorticata, oriza, panicum, milium. Volucrum caro terreſtrium animantium generi comparata concoctu facilis eſt, præſertim perdicis, phaſianorum, turturum, iuniorum pipionum, turdorum & paſſerculorum. Alæ anſerum & gallinarum cæteris partibus, ſaginatæ & iuniores aues macilentis & ſenioribus præſtant auibus. At quadrupedum caudæ, & colla nec non ſylueſtrium caro animantium, & eorum præſertim, quæ ſiccis in locis degunt, nec omnino approbanda, nec penitus reprobanda, probè enim nutriunt, ſed maximo excremētorum fœnore. Saginata & iuniora gracilibus & ſenioribus ſunt anteponenda. Iecur anſerum & teſtes gallorum, præſertim ſero lactis ſaginatorum concoquuntur facilè, nec tantùm ſenibus, ſed etiam extenuatorum corporum renutritioni conueniunt. Vitulorum, hædorum,

lepuſculorum carnibus toſtis, iuſculis item ex quibuſdam elixis vti arietina & bubula, amygdalis contuſis, & ouis ſorbilibus ſenes vti poſſunt. Cætera, quæ ægrè concoquuntur, iunioribus ſimulque robuſtioribus permittẽda, caro nempe, bubula, ceruina, hircina, arietina, ſuilla, leporina, cæteræque ex animalibus ſenio aut macie confectis. Item ex animantium partibus ventriculus, inteſtina, cor, iecur, aures, caudæ, renes, cerebrũ & teſtes: ex volucrum genere anſeręs, palũbi, ſturni, merulę, auiculæ, turtur antiquus, anas, pauo & ex volucrum partibus ventriculus omnium maximè. Item, vt præmonuimus, cochleæ, oſtrea, bucinæ, gammari, cancri, aliorumque teſta intectorum caro, lac acidum & caſeus, præſertim vetus, rapum, bulbi, crudiores, vuæ acidæ & auſteræ, ſiliquæ, ocymum, paſtinaca, & omnes olerum radices, ipſaque olera vniuerſa, lactuca intyboque exceptis. Olera tamen aliquando in vſum, vt inferiùs patebit, venire poterunt.

Qualia ante cibum & potum exercitia ſint obeunda, vbi de frictionibus & excrementorum exoneratione.

CAPVT XI.

CVM verò nulli ætati temerè ſit indulgendum, ſed ex naturæ præſcripto priùs exonerandæ ſint partes contentis excrementis, quàm noua alimentorum congeſtione onerandæ, nunquam ſenex

ad ci

ad cibum ſumendum ſe conuertat niſi priùs exonerata aluo aut veſica, deinde molli deambulatione calorem naturalem excitauerit, aut moderata frictione obſeratos cutis meatus aperiens excremētitiis expirationibus viam patefecerit. Fricādum igitur eſt corpus nudis manibus cum oleo dulci, donec probè caleſcat, ruborque floridus in cute niteſcat, confrictaque particula in molem eleuetur, ventre penitus non contacto. Periculum eſt ènim dum cibis percoquendis ventriculus dat operam ne ſemicocti humores in caput rapiantur, ipſe verò ſubuertatur. Quare nardino vnguento venter perfundendus eſt abſque defrictione, Aëtio auctore. Deinde deambulandum leniter, & ad conſueta opera citra defatigationem virium accedendum: nam ſicut lenis ventillatio excitat focum, ſic mollis exercitatio calorem natiuum, ad cuius modificationem tecmarſis à viribus ſenis eſt auſpicanda. Interea animi affectus vitet, præterquam gaudium & moderatam lætitiam, & ſi modica aliquando ira ei competere videatur, cum innatum calorem ſuſcitet.

De cibandi tempore, ordine & quantitate.

CAPVT XII.

IN declinante ætate victus & animæ & corporis remiſſus congruit: nam & exercitia qualiacunque fuerint pro horum ratione ſubtrahenda ſunt & alimenta ſenſim contrahenda, quum habitus ipſorum frigiditatis principium accipiat. Dandus eſt

igitur

igitur ſeni cibus modicus, nam ſi paululum exceſſerit non parum lædet: ſenum enim virtus imbecillis eſt, ac facilè repletione ſuccumbit. Securiùs itaque fuerit, parum cibi offerre, idque ter in die circa nonam videlicet horam panem probè paratum & recentem cum optimo melle deſpumato. Circa verò meridiem frictionibus & debitis ſenibus exercitiis peractis prandium lautè exhibendum eſt, ab iis auſpicando, quæ ventrem molliunt, velut ſunt olera ex beta, malua & ſpinacia, deinde piſces ſaxatiles reliquaque æſculenta potulentaq; quæquæ ſuo ordine iuxta naturam loci & temporis. Vbi verò fames exempta eſt, paululum à cibo quieſcendum, deinde moderato motu citra virium defatigationem, vt dictum eſt, ad conſucta opera reuertẽdum. Ad veſperum autem cœnantes à piſcium eſu abſtineant, accipiantque cibos ἰυχύμους, quique ægrè corrumpantur, velut caponem è ſimplici iure, aut aliã volucrem è verubus detractam. Dandæ tamen ante omnem cibum dulciſſimæ ficus ex arbore recenter detractæ, hyeme caricæ. Oleracea omnia, vt iam dictum eſt, præ aliis cibis ex oleo & garo (pro garo antiquorum intelligo decoctum piſciũ ex æquis partibus vini & aquæ aut omphacij cũ ſale & pipere) exibere oportet: emolliunt enim aluum, necnon pruna ſicca, pręſertim quæ ab Hiſpania aut Prouincia afferuntur: Damaſcena verò in aqua multa meraciore præmacerentur, aut in ipſa cum ſaccharo decoquantur. Similiter & oliuæ muria cõditæ, ſi fieri poteſt, pręſumendæ erũt. Aluo verò ſuppreſſa ex conſilio Pauli Mercurialis cocta exibenda, nonnunquam therebentinę

ad nucis

ad nucis regiæ magnitudinem, aliquando etiam ad duarum aut trium: non enim ſolùm citra moleſtiam emollit, ſed etiam viſcera extergit, pulmones & renes infarctu liberat. Quinetiã eadem ſuppreſſa oleo tepenti leniter infuſo feces educẽdæ, tum quia meatus inſtar aridarum pellium contracti vnctuoſo olei madore explicantur, tum etiam quia indurata eodem madore remolliuntur excremẽta. Apponuntur interdum ſenibus appetitus irritamenta fructus horarij, à quibus abſtinendum illis eſſe ipſa ratio imperat, cum ſint omnes cacochymi, præter ficus atque vuas, quibus à Galeno bonitatis principatus ſuper reliquos fructus tribuitur, præſertim ſi ad exactæ maturitatis terminum peruenerint. Paucos enim flatus generant, breuique momento diſſipabiles ſine corporis læſione ſecedunt. Mala punica ſenibus sũt maximè incongrua, reliquaque malorũ & pyrorum genera ſi cruda edantur, conceduntur tamen cocta cum ſaccharo aut melle condita. Mel ſicut crudum lædit, ſic probè coctum ſenibus conuenit. Cæpa, porrum, allium, raphanus, ocymum, braſſica, prauum ſuccum generant. At allium, cæpe, porrum decocta humoris malignitatem deponunt. Pepones, cucurbitæ, cucumeres, nec eis conueniunt præter ſemina pro renibus abſtergendis aſſeruata. Ex oleribus nullum εὔχυμον eſt, mediocritatem quandam in bonitate, intybo, lactucæ, maluæ, betæ & artriplici agnoſcimus. Hac ita ratione refectus ad rem amatam ſe conferat, cuius electio à ſequenti petatur capite.

Vita ſenis libri, domus, hortus, lectus, amicus,
Vina, nepos, ignis, mens hilaris, pietas.

CAPVT XIII.

INTER oblectamenta, quæ ſenilem animum maxima iucunditate afficiunt, librorum in primis locupletiſſimam penum eſſe exiſtimo, ex eo argumentum ducens, quod præteritarum rerum memoriam cum legendo, tum audiendo ſibi renouare gaudeāt: fuerunt enim ab omni æuo viri magni, etiam in extrema ætate poſiti, bibliothecarum inſtruendarum ſtudioſiſſimi, ad quas ſe conferentes (non ſecus ac Arceſilaus de Homero) dicebant ſe ad Amaſios ire, cùm ſe velle libros legere ſignificarēt. Fuerūt etiam alij, qui ſemper aliquid ante ſomnum legerent, mane quoque aliquid ſcriberēt, vt ea ratione lōgioris noctis fallentes tædium, memoriam præteritarū rerum excolerent, poſteritatique de litteris benemerendo conſulerent, quales accepimus Primum Cæſarem, Polybium, Xenophontem, Thucididem, multoſque alios, quos breuitatis gratia prætereo, in tuā bibliothecam animum cōuertens lectiſſimis inſtructam libris, atque decenter per ordinem digeſtis, in loco ſanè tuæ domus per quam eleganti & amœno. Eodem planè animo vir omnibus ſæculis incomparabilis doctrinæ & vitæ integritate (*Illuſtriſsimus Præſes*) Dominus A. Prunerius bibliothecā erexerit, quę vt librorum multitudine nonnullis in Gallia cedit, bonitatę tamen, qua tanquam regula ſupellectilem librorum metimur, certum eſt multas ſuperare.

Eadem etiam ſenilem animum iucunditate penè afficiunt cum publicarum tum priuatarum ædium extructio, in quo genere principes viri ab omni æuo

& in

& in quacunq; ætatis parte poſiti ita claruerunt, vt non euidẽtiora hominum veſtigia noſtris ſubiiciantur oculis,quàm antiqua Romanæ potentiæ monumenta,quæ per ampliſſimum terrarum orbem ſuorum autorum ſignata nominibus vbique apparent, maximéque in hac prouincia, quæ nulli alteri cedit antiquitatum reliquiis, vnde nec immeritò de illis dici poſſit,quod de Rhodiis Ariſtippus: nam quum grammata geometrica in litore delineata cõſpexiſſet,exclamauit;ſe ad homines perueniſſe,quod eorũ veſtigia videret. Ita quoque mihi, quoties nouam murorum extructionem,vicorum diſpoſitionẽ, domorum elegantem ſtructuram,põtium arduam molitionem, pomeriorum amplitudinem,quibus principem Allobrogum ciuitatem decoraſti,non hominis tantùm veſtigia in lapidum molitione agnoſco, ſed etiam maximi Imperatoris in patria ab hoſtibus vindicanda virtutes ſuſpicio.

Ne autem diutius immorer in illis,quibus generoſi ſenum animi occupari poſſunt, ſibi arma habeãt reges, ſibi diuitias diuites,ſibi honores,ſibi virtutes, ſibi pugnas & prę lia(liceat enim mihi Plautinis verbis eloqui) dummodo ſenex noſter agriculturę voluptatibus capiatur,quæ tanti apud maiores noſtros pretij & ſingularis honoris fuit, vt emeriti milites huic vacarẽt & ex aratro ad magiſtratus ſenatorij viri crearentur. Quid enim iucũdius, quam rerũ naturalium interpretationem magnamq; ſummi opificis prouidentiam à frugibus,arboribus, cæteriſq; rebus in terræ gremio hærentibus intelligere? Cuiuſmodi in frugibus ſpica ſeminis ordine ſtructa, & contra auium morſum ariſtarum vallo munita: vitis etiam

natura caduca, quæ vt ſe erigat, clauiculis ſuis tanquam manibus quicquid eſt nacta complectitur. Nec verò ſegetibus ſolùm, pratis, vineis & arbuſtis res ruſticæ ſenectutem oblectãt,ſed pomariis etiam & hortis,tum pecudum paſtu & apum examinibus, florumque omnium varietate: nam flores ſummæ hominum cum voluptatis tum vtilitatis cauſa creauit natura: horum enim illecebris non parum viſus & olfactus capiuntur, vtpote cũ miros efflent odores, inenarrabilemque colorum varietatem repreſentant. His etiam accedit peregrinarum plantarum cultura teſſerularum emblemate variegata,conſitiones videlicet & inſitiones, quibus nihil inuenit agricultura iucundius. Vnde non mirum ſi Homerus Laertem ſenem, deſiderium lenientem,quod capiebat ex abſente filio, colentem agrum fecerit, cum ſummi principes vltrò id ſibi negotij in florẽti etiam ætate præfecerint: nam vt ſcribit Xenophõ in œconomico, vt eſt apud Ciceronem, cum Lyſander Lacedemonius Sardis veniſſet ad Cyrum minorem, per quàm humanè ab eo exceptus eſt, ipſique inter deambulandum ager oſtenſus in quo arborum directi in quinquuncem ordines, ſolertiam eius, à quo eſſent deſcripti, facilè ſignificabant, quæ cum Lyſander admiraretur, ei Cyrum reſpondiſſe ferunt, ſuam eſſe deſcriptionem, multas etiam illarum arborum ſua manu eſſe ſatas. Tum Lyſandrum intuẽtem eius purpuram multo auro, multiſque gemmis nitentem dixiſſe: rectè verò te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt. Hac igitur fortuna frui licet ſenibus, vt docet Cato apud

Ciceronem, nec ætas impedit, quominus agricolendi ſtudia ad vltimum vſq; ſenectutis tẽpus tueamur.

Quarta ſenilis ætatis occupatio verſatur vt plurimùm in quieta corporis diſpoſitione ſiue ſomno ſit indulgendum, ſiue à negotio ad otium accedendum. Quia verò conſtat inter medicos noctu dormiẽdum & interdiu vigilandum eſſe, quæret aliquis forſitan nunquámne liceat interdiu ſenibus dormire? Reſpondet Galenus Homeri teſtimonio fretus de perſona Neſtoris.

---ἐπὴν λούσαιτο φαγόιτε
Ε῎υδοι μὲν μαλακῶς ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.
Vt lauit, ſumpſitq́; cibum, dat membra quieti,
Namq́; hæc iuſta ſeni.

Quam ex parte tantùm veram eſſe aſſerit ille: poſtulat enim ſenum, non ſecus ac iuuenum, corpus aliquando dimoueri, imò corporum, quæ in florenti ætate ſunt, non deſunt, quæ quietem requirant: ſenum verò nemo quietem ex toto poſtulat, ſed neque exercitium vehementius. Sicut enim igniculus ventulo excitari accendique, ita eorum calor deſiderat, vehementiori autem motu deiicitur. Cæterum ſenibus & pueris interdiu ſomnus conuenit, illis, vt ſiccitas emendetur, coctio iuuetur, & vires roborentur, his verò, vt fluor immodicus ſiſtatur.

Quinta ſenilis ætatis occupatio circa amicos verſatur, quamquam neque ſenes, neque ſeueri videantur Ariſtoteli eſſe ad amicitiam ſatis idonei, exigua enim afficiunt voluptate eos, quibuſcum ipſi cõuerſantur. Maximè enim natura videtur moleſtiam fugere & oblectamenta quærere: ſed cũ tria amicitiæ

fundamenta ille ſtatuat virtutem nempe, vtilitatem & voluptatem, non deerunt, qui magis virtute aut vtilitate ſenum amicitiam, quàm voluptate metientur, maximeque coëui, & inter iuuenes, qui pabulo ſtudij & doctrinæ alliciuntur.

Ne ergo bellum omnino indixiſſe voluptatibus videantur ſenes, quarum vis maximè elucet in naturalibus Bacchi & Veneris illiciis, in cõuiuiis liberiùs diſcũbentes, cum alios Deos, inquit Plato, tum Dionyſium ad ſacra ſenum & ludos inuocent, qui omnibus vinũ quaſi remedium aduerſus ſenectutis duritiem eſt largitus, vt reiuueneſcere videantur & mœſtitiæ illos obliuio capiat, ipſaque affectio animi ſicuti ferrum in igne ex duritie in molliciem deducta flexibilior fiat: nam Homeri quoque teſtimonio,

οἶνος ἄνωγε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

Vinum impellit ſenem etiam nolentem ad choreas.

Quod autem ad Venerem attinet, ſenes ſunt minus ad eam idonei, veluti pueri, & qui aliqua corporis ægritudine detinentur: ſenes, quia eorum natura nõ poteſt ſatis concoquere, pueri propter incremẽtum, ægri denique propter imbecillitatem.

Quocirca miſſis rebus Venereis conuiuium ſæpius amicorum ineant, retribuentq; viciſſim, varioque ſodalium animos oblectent ſermone, viciſſimque rurſus ipſi oblectentur,

Ante focum ſi frigus erit, ſi meſſis in vmbra.

Ad quam rem aſſequendam materiam facilè ſupeditabit antiquorum inſtitutum, qui in conuiuiis præligebant vnum de ipſis, qui mẽſis remotis conuiuarũ velut moderator inter cætera aliis proponebat

bat concluſiones aut è puriſſimis philoſophiæ fontibus deprōptas, aut è litteris humanioribus ſelectas, ſicuti videre eſt apud Atheneū, Gellium, Xenophōtem, Platonem, Ariſteum & reliquos. Noſtro verò ſæculo calthis, taxillis, & ſimilibus malorum irritamentis, fraudúmq; & auaritiæ fomētis luditur, & ad multam noctem varius animi motus producitur.

Omnium verò ſenilium exercitationū, vt iucundiſſima, ſic etiā vtiliſſima erit ea, quæ circa nepotum educationem occupatur, in qua plerumque non minùs illis inſudādum erit, quàm in ſerendis arboribus, quæ alteri ſæculo proſint, prima videlicet virtutis rudimenta vitæ & doctrinæ exemplo in eorum animis imprimendo: nam

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Forte paras, inquit Iuuenalis:

Item Plato, quinto de legibus: *ſapiens*, inquit, *legumlator ſenioribus præcipiet, vt ſint coram minoribus verecundi, ac ſummoperè caueant, ne quis iuuenum eos, aut videat, aut audiat agentes turpe aliquod vel loquentes*: nam vbi ſenes minùs pudici ſunt, neceſſe eſt ibi iuuenes impudentiſſimos fieri.

Quod ſupereſt, mens hilaris eſto, ad quod maximè cōducit bene actæ vitę recordatio, tranquillitas animi vitæ innocentia, lætitia virtutum conſcia, immortalis gloria rebus bene geſtis, rerum opulentia non tam laboribus quàm blando proſperitatis fauore parta, ſed quod magis mentem exhilarat, pietas in primis cenſenda eſt, qua legitimo Deum honore veneramur, templum & aras in cordibus noſtris erigimus, immortaliſq; vitæ participes fieri meremur.

De

De ſenum purgatione & ſanguinis miſsione.

CAPVT XIV.

PINGVES & prægraciles ad purgationē inepti ſunt auctore Aëtio, item & qui multo ſanguine abundant, qui aſſiduè animo linquuntur & ægrè reuocantur: qui citò vomunt ex omni occaſione: pueri item & ſenes, & mulieres, quibus menſes valde purgantur; qui valde purum habent corpus, & qui certam habent victus rationem: quibus aluus eſt aſtricta natura, & qui dyſenteria & cœliaca fluxione facilè corripiūtur, qui prauo victu vſi ſunt, & qui phlemone laborant in hypochondriis. Quemadmodum autem à venæ ſectione arcēdos eſſe cenſet Actuarius pueros impuberes & eos qui iam conſenuerunt, ac vterum gerentes, niſi maior vrgeat neceſſitas: ita in purgatoriis quoque agendum eſſe monet, niſi ex eorum numero fuerint, quæ aluum ſubducunt, aut feces explodunt, illa ὑπήλατα, hæc ἐκκοπρωτικὰ Græci nominant, iiſque non niſi inſtante neceſſitate eſt vtēdum. Quapropter in ſenectute rarò purgandum, aut ſanguis mittendus, atque id, ſi faciendum, adhibito antè ſingulari iudicio virium ſenis & peculiaris eius naturæ, ſymptomaton cōcomitantium & anteactæ vitæ fiat. Licebit tamen clyſmis, & aluiducis medicamentis primam corporis regionem, vbi opus erit, exonerare, cuiuſmodi eſt illud, quod ſic præſcribitur. ℞. *Caſsiæ recenter extractæ vnc. j. & ſem. mannæ electi vnc. j. ſyrupi roſati laxatiui vnc. iij. pulpæ tamarindorum vnc. ſem. miſce, fiat electarium liquidum pro tribus doſibus, cum decocto pulli, aut pectorali, aut florum & fructuum cordialium.*

DE

DE AFFECTIBVS SENVM PRÆCAVENDIS, ILLISQVE CVRANDIS

Pars Poſterior.

IN QVA

DE REBVS PRÆTER NATVRAM AGITVR.

Primóque, De nephritide.

CAPVT. I.

HIs enarratis, ad ſenilium adfe-ctuum præcautionem, curatio-némque accedere iam tempeſti-uum eſſe mihi videtur. Inter ple-roſque alios corporis affectus, ab Hippocrate commemoratos, quibus ſenes in dies torquētur, nephritin maximum eſſe exiſtimo propter grauem in renibus dolorem, quo, qui conflictantur, veluti aculeis puncti acer-biſſima patiuntur ſymptomata, eáque grauiora, quò ſe pleniùs cibis refecerint. Aſſumptis enim alimentis ſanguinis magna producitur in venis co-pia & excrementorum in inteſtinis, vnde vicinia loci, operis ſocietate & communione vaſorum renes

magnoperè afficiuntur, cum ex inteſtinis excrementa eos comprimant è venis verò ſerum diuellat: in dextra quidem parte, ſi rem dexter, in ſiniſtra ſi rem ſiniſter ſit affectus. Quinetiam ſtupor femori epiginomenos, aut alteri teſticulorum retractio, partium compaſſione renem καθ' ἰξιν affectum manifeſtant. Inter initia quandoque vomitus pituitoſi, poſtea verò æruginoſi, quibus ægri à paroxiſmo liberãtur, frequenter ſuperueniunt. Quandoque etiam ab initio dilutas puráſque effundunt vrinas, deinde ſequentibus diebus, quæ ſedimentum habeant craſſius & naturali conſiſtentia tenacius: poſtremò, quæ in matulæ fundo arenas (ſi è renibus rubras, è veſica albas, ex attritu calculi cruentas) ſubſidentes deponunt, à quibus morbi ſedes, cauſa & ſpecies ita facilé deprehenduntur, vt longiori diſquiſitione non ſit opus, neque metuenda colici doloris & nephritidis ſimilitudo cum ſignis pathognomonicis hæc multùm inter ſe diſtent, maximéque quod in renum affectibus ſpina dorſalis ægrè flecti poſſit totumque corpus ſegne & pigrum euadat. Adde quod mentitur ſæpe colicus dolor nephriticum: nam in nephritide aluus fluit, vrina ſiſtitur, & contrà. Inflammatio cauæ partis iecoris colicum mentitur dolorem, conuexæ pleuritidem. Vrinæ circa obſtructionis principium paucæ eminguntur, tandem morbo increſcente omnino ſupprimuntur, calculo videlicet meatum occupante. Aluus ſimiliter partium vicinia compatiens nihil excernit, fruſtráque ad egerendum nephriticos ſollicitat. At vbi calculus meatuum amplitudi

plitudine & ſeri permeantis impetu è renibus auulſus ad veſicam transfertur, tunc vrinæ copioſæ prodeunt, aluuſque ſimiliter largè egerit. Hæc ſymptomata è cauſæ magnitudine modò leuiora, modò grauiora exiſtunt, à quibus quiſque ſenum præcauebit ſi calidi innati integritatem optima viuendi ratione inuiolatam ſeruauerit. Huius enim imbecillitate cruditatis omne genus emergit, à cruditate pituita, à pituita craſſi viſcidique humores, à craſſis vicidiſque humoribus ſubſtantia topho perſimilis, à qua demum calculi fit omnis concretio. Prima mali labes ventriculi intemperies frigida, immoderata eſculentorum & potulentorum ingeſtio, aut intempeſtiua inordinataque ſumptio, aut cacochymia, item excrementorum congeſtio, affuſio ad renes, vreteras & viſicam, vbi aut partis intemperie calida, aut inſita proprietate coquitur & in lapidis vertitur naturam, quæ non cuiuis cedit medicamento.

Ne igitur in cruditatem & deprauatam ciborum alterationem ſenes incidant cautione ante omnia opus eſt, iis vitatis, quæ calidi innati vires coquendi contumacia obtundunt, aut multitudine obruunt, aut infeſta qualitate extingunt, cuiuſmodi ſunt pinguia ſalſaque condimenta: ex oleribus quæ igneæ ſunt naturæ aut vltramodum frigidæ: item, quæ flatus pariunt: ex piſcibus, qui duras carnes habent repoſitione arefacti. Vitent fructus dulces, aut flatus generantes & immaturos, oleaginoſos, peregrinos cibos & inconſuetos. Cibi neque impetuosè, neque aceruatim, neque

voraciter ſunt ingerēdi, neque etiam cibus potu interpellandus eſt, id enim eius in ventriculo fermentationem impedit, coctionem euertit, diſtributionem immaturam accelerat, chylum innatare facit. Itaque cibo accepto vexationes inæquales ſunt vitandæ, item æſtus & refrigeratio, hæc enim ciborum concoctioni reſiſtunt. Adiuuant autem eamdem pedum frictio, præcordiorum calefactio, cubiculum tepidius, necnon expanſa manus ventriculi orificio, aut puerulus carnoſus, aut catulus admotus. Cæterum ructu iniucundo proueniente, citra cunctationem ad vomitum veniendum eſt, atque aqua tepida hauſta omnia corrupta ad excretionem cogenda ſunt. Commodiſſimus enim eſt in multis affctibus vomitus, præ cæteris verò maximè propoſito. Si quis tamen in hoc ſenum populo naturâ difficilè vomat, aut ob aliam rationem vomere impediatur, omni diligentia conandum eſt, vt cibus aluo ſubducatur. Quod ſanè aſſequemur debita corporis in lecto collocatione. Sit igitur decubitus partium ſuperiorum erectior, inferiorum depreſſior, commoda ſtragulorum diſpoſitione. Item in latus ſiniſtrum potiùs quàm in dextrum incumbere licet, hoc enim corporis ſitu circumiacentium calore ventriculus, velut lebes igni admotus magis incaleſcit, atque ita citra corporis agitationem immutabili decubitus forma permanendum. Frequens enim corporis agitatio, vt interuigilantibus ſenibus fieri conſueuit, concoctionem perturbat, flatus generat, & ventriculum ſubuertit. Propterea quietè corpus eſt continendum, hac enim ratione quæ in ventricu

triculo hęrent celerrimè coctionem perficiunt,& ad ſubiectas partes excretionis gratia permeant.

Ita ergo nocte peracta moderato & ſufficienti naturæ cibo ſenex eſt manè reficiendus. Dabuntur itaque à lauacro oua ſorbilia, maluarum aſparagi, camari, piſces ſaxatiles ſecundùm naturam loci & temporis: item iuſculum ex decocto pulli, caponis aut gallinæ. Abſtineat interea à commemoratis ſuperiùs carnibus, leguminibus, oleribus, ſalſamentis, & quæ eius generis ſunt: item à placentis, fructibus dulcibus facileque aceſcentibus. Δυσπεπτ@ enim cum ſint negotium ventriculo faceſſunt, flatuſque generant.

Pharmacon concoctionem promouens ieiunis exhibendum, duabus ante cibum horis:

℞. Ex malis cydoneis ſucci vnc. ij.
Mellis optimi tantumdem,
Aceti vnc. j. ſemiß.

His ſimul ad prunas ardentes moderatè decoctis & deſpumatis adde Zinziberis drag. iij. piperis drag. ij. & rurſus donec ad mellis craſſitudinem perueniãt decoquito. Contundere autem craſſiuſculè ea oportet, quæ ad huiuſmodi pharmacorum compoſitionem coniiciuntur, ea gratia, vt venter inde melius ſubducatur. Tenuiſſimè enim trita & in pulucrem ſubtiliſſimum reducta ad emolliendam alium inepta redduntur, at vrinas potentiùs cient. Contrà, craſſiora minùs vrinas, potentius aluum ſubducent, cum anguſta venarum ora penetrare non poſſint. Aliud Pharmacum pro iis, qui non conuenienter concoquunt.

℞. *Trion piperon ana partes æquales. Cumini, Zinziberis, aniſi, Thymi ana. partes vj. miſce fiat puluis.*

Prædictorum quidem pharmacorum calor circa primas extinguitur venas, nec per vniuerſum corpus ſe diffundit, ſicut illud, quod ex calamintha conſtat, neque enim volumus, ea quæ cũ cibo coctionis gratia exhibemus per vniuerſum corpus penetrare, ſed tantum coctionem ciborum in ventriculo promouere, atque humorum, qui crudi reſtitant in venis primæ corporis regionis ad portam pertinentibus. Ideo quæ ad concoctionem tantum adiuuãdam apparantur in puluerem ſubtiliſſimum nequaquam redigere oportet. Mulſum quoque acetum pituitoſis in prima corporis regione humoribus conuenit, quod hoc modo præparare conuenit.

℞. *mellis optimi qu. ſuff. decocto & deſpumato adde aceti partem mediam, atque ita rurſus ad prunas decoquatur donec acor aceti penitus euaneſcat.*

Vtendum eo pari dimidij modo cum aqua calida tanquam vino, plus aut minus, vt iucundum ægro viſum fuerit. Quod enim iucundum ſtomacho id naturæ familiare eſt pariter & iucundum, quod verò iniucundum, id quoque naturæ inimicum eſſe intelligere oportet.

Quiſquis igitur præſentem victus rationem obſeruauerit non ſolum à renum affectibus, verumetiam à putridis febribus, melancholia, cephalalgia, conuulſione, paralyſi, inappetentia, colico affectu, hydropiſi, abſceſſibus, cæteriſque ab obſtructione vitijs liberabitur, quorum praua victus inſti

inſtitutio præcipua cauſa fuit. Nam cum illa aſſumendis, educendis, faciendis & admouendis partibus claudatur, non parui referre exiſtimandum eſt, ſi quæ aſſumuntur calori noſtro proportione reſpondeant, ſintque illi familiari coniunctione accommodata: nam quæ ſe aliter habent eius vires frangunt atque obtundunt, ſine quibus nulla animæ facultas functiones ſuas probè poteſt in corpus exercere. Si quidem calore innato intercedente alimentum attrahitur, retinetur, concoquitur, & tandem quod naturæ familiare eſt partibus aſſimilatur, inutili vi expultrice excreto, quibus facultatibus recta & conuenienti victus inſtitutione ab omni offenſione præſeruatis, roboris & ſanitatis nobis ſatis ſupereſſe credendum eſt. Qui igitur vitam noſtram moderatur calor parum ab elementari, ſi ad vtriuſque efficientiam velimus animum intendere, videbitur recedere. Sicut enim elementaris ſubiectis lignis in foco aſſeruatur, non diſſimili ratione naturalis alimentis fouetur: ille lignorum viridium multitudine proprium remittit incendium, hic immoderata crudorum alimentorum copia vires pariter remittit: ille lapides & metalla vix ſuperare, hic dura & viſcida alimenta vix coquere poteſt: denique, vterque familiari pabulo priuatus penitus euaneſcit. Efficiendum igitur omni arte, vt alimentum proportione reſpondeat caloris inſiti efficientiæ, ne immoderata pabuli quantitate aut aduerſa qualitate vis eius remittatur, quæ aliunde ſatis etiam nolentibus per ſe obtunditur.

Vt

Vt igitur ad propoſitam ſenilium affectuum curam redeamus ab vrgentiore initium ducemus, videlicet renum calculo: nam vbi magnoperè increuerit, ſuperſtite aut ſubcreſcente materia, ſanguis refluo ad venas ſero corrumpitur, iecur communione vaſorum atonia affectũ diuinæ hæmatoſeos priuatur facultate, calor ventriculi extinguitur, vnde vomitus æruginoſi, dolores acerbiſſimi, cruciatus intollerabiles, noctes inſomnes, quibus in maximum vitæ diſcrimen præcipiti virium lapſu ætate promotiores impelluntur, illique maximè, qui in extremæ finibus verſantur ſenectutis, in qua frequentiùs quàm reliquis ætatibus tales contingunt affectus, propter caloris adſcititij acrimoniam, quæ craſſos humores cogit atque denſat, pueris verò fundit atque diſſoluit.

In renibus itaque conſiſtunt calculi parui, aut maiores, pauci aut plures, forma, colore, aſperitate, læuitate inter ſe differentes, ex quorum tamen numero rotundi & læues minori negotio excernuntur. Ad curandum igitur talem affectum eligatur aër purus & temperatus, vt ſuperius à nobis dictum fuit, ſomnus, quantum fieri poteſt, conciliandus parum conſueto longior, quies vitanda, motuſque immoderatus, exercitia tamen mediocria conueniunt, quæ ex ægri habitu, ætate & robore ſunt metienda: nam omnis violenta exercitatio, velut frequentior equitatio, eſt fugienda. Idem iudicium eſto de immoderato otio, quo calor inſitus, velut ignis elementaris torpeſcens, extinguitur: Excitandus igitur leni deambulationum ventilatione, iucun

iucundáque inter coæquales conſuetudine. Sit alυus ſuluta arte aut natura: nam vbi hæc alimentorum feces non bene excernit, fœdatur proluuie ſanguis, labemq́ ſe cõtrahit, quæ per vrinas reuulſione facta, vt eſt in aphoriſ. vltimo quartę ſectionis, excernitur, non ſine obſtructionis periculo: tutiùs igitur erit in hoc affectu primæ regionis ſua incommoda per ſeceſſum deponere. Pathemata animi, quibus calor & ſpiritus à centro ad circumferentiam & rurſus à circũferentia ad centrum reuocantur, diligenter ſunt moderanda: nam triſtitia coctio & diſtributio humorum impeditur, calor & ſpiritus extinguitur, naturales facultates debilitantur, corpus refrigeſcit & paulatim deſiccatur. Sic interdum iracundia excitari ſenes nõ omnino erit à ratione alienum: nam ea efferueſcit ſanguis crudoſque humores coquit, craſſos attenuat. Cibus conſimiliter moderatus, coctu facilis, humidus, ſitis expers eligendus, vitandus verò, qui ſe modo contrario habet, vt ex ſuperioribus liquet, caſeus præſertim: nam qui eo frequentius veſcuntur calculos in renibus generant, ſimiliter etiam abſtinendum erit ab omnibus acribus, dulcibus, craſſis, tenacibus ac pinguibus.

Quapropter cremorem ptiſanæ iuſculo pullorum gallinaceorum, vel phaſianorum præparatum adhibere conuenit, nec aliter eorum caro tribuenda. Vinum autem ſit admodum tenue & album, non valde vetus: dulcia vero & nigra vina vitanda ſunt, tanquam calculoſis inepta. Vbi verò renum dolor, aut vrinæ ſuppreſſio ſtatim inuaſerit,

laboranti vomitum prouocare aut enemate aluum diluere expediet, ea tamen lege, vt prius de abſoluta aut imperfecta ciborum in ſtomacho coctione ex refectionis tempore conſtet: nam ſi adhuc crudi aut ſemicocti in ventriculo eſſe deprehendantur, ante omnia vomitus erit excitandus, quo nihil in dolore mitigando præſentius inuenire queas. Si verò iam pepſi abſoluta os infernum ventriculus diduxerit, reiecerítque quicquid alimenti in chylum confecerat in inteſtina, non vomitu vlterius opus erit, ſed idoneo enemate alimenti recremēta, quæ in inteſtinis colliguntur, educere, eoq́; omnibus calculoſis communi, vbi dolor ſenſim inuadit.

℞. *Furfuris macri in panno ligati manip. ij. Caricarum pinguium num. x. fænigræci vnc. j. ſem. ariſtolochiæ rotundæ vnc. j.* vel

℞. *foliorum maluarum, altheæ, mercurialis, & betæ ana man. j. ſeminis lini vnc. j. ſemiß. fiat decoctio, cui adijciendum.*

Olei { Seminis lini, Chamæmelini, & anethini, } ana vnc. ij.

Salis parum. Si ex his aluus non ſatis excreuerit, adiice hieræ picræ vnc. ſemiß. butyri recentis aut adipis anſerini vnc. ij reiteretur.

Cæterùm vbi aluus ſufficienter enemate expurgata videbitur, inflammationes, quæ ex calculi aſperitate obortæ ſunt, lenire, meatuſque relaxare cōuenienti rerum in aluum iniectione ſtatim oportebit, quod ſanè oleum anethinum præſtare poterit, adipe gallinaceo recenti in eo eliquato, ſeu anſerino, aut

etiam

etiam butyro cum ſemine fœnigræci, aut altheæ radice in prædicto oleo aut pinguedinibus incoctis. Venæ autem ſectio, niſi virium robur exigat haud mea quidem ſententia ſenibus eſt inſtituenda in renum præſertim affectibus, quamuis venæ poplitis ſectionem iure quiſpiam imperare poſſit, tanquam à medendi inſtituto haud alienam, vbi magna vaſorum repletio contingit: nam vaſis ſanguine repletis non tutò medicamentum catharticō dederis, cum ob plenitudinem non poſſit eius vis purgans in corpus permeare, vnde fit, vt ſubſtet, nec quicquam efficiat, aut ſi forte effecerit, id maiori virium diſpēdio, quam artis compendio. Conſimiliter etiam, vbi ſanguinis penuria, ſicuti maxima ex parte ſenes exāgues, vieti & caduci vitam agunt, humorum verò improborum vbertas, quam cacochymiam vocant, purgatio apta erit citra venæ ſectionem pro ratione ſuccreſcentis aut ſuperſtitis cacochymiæ, videlicet vtriuſque bilis flauæ, aut atræ, aut quod frequentiùs eſt, pituitæ, in hunc ferè modum.

℞. Caſsiæ
Elect. Diacatholici } *ana drach. ij. & ſemiſs.*
Diaſebeſten ſimp.
Specierum hieræ ſimp. drach. iij.

Formentur boli cum puluere glycyrrhizæ ſintq; deaurati. Idem etiam aſſequemur confectione de dactylis, cum prædictis ſpeciebus. Ita demùm toto corpore expurgato foueatur renum regio decocto foliorum maluarum, foliorum & radicum altheæ, florum chamæmeli fœnugræci, ſeminis lini & radicis graminis in hydrelæo, ſpongiis ſæpius

ſupra affectum renem adhibitis. Vtiliſſimum eſt etiam balneum ex dulci aqua paratum, aut ex hydræleo dolore adhuc vehementiùs vexante, ante cuius ingreſſum ſimulq́ue poſt exitum inungatur renum regio ſequenti vnguento, quod

℞. Olei chamæmelini, anethini, & amygdalorum dulcium ana vnc. j. & ſemiſ. adipis anſeris, vel galinæ & butyri recentis ana drag. iij. Ceræ quod ſatis eſt, quibus adde olei ex ſcorpionibus, quod videbitur. Aut

℞. Olei ex ſcorpionibus, recentis butiri & olei amygdalorũ dulciũ, quãt. ſuff. cum Cera fiat vnguentũ.

Huiuſmodi remedia eouſque ſunt admouenda, aſſumenda & iteranda, quouſque lapis aut è ſede ſua emotus, vel remolitus, aut meatus, per quem tranſiturus eſt, apertus, vel relaxatus, dolores mitigati, vel ſublati ſatis videbuntur. Intereà, quæ vrinas cient aut lapidem frangunt exhibere tempeſtiuuum erit. A nimis calidis tamen aut potentioribus diureticis omnino abſtinendum eſt, præſertim à longo eorum vſu, effectricem enim calculorum cauſam adaugent: quare attenuantibus & incidentibus citra magnum calorem vtendum erit. Hæc enim paulatim citra noxam lapidem cõminuunt, nec non tophaceas conſiſtentias incidunt, craſſos viſcoſoſq́ue humores concreſcere non ſinunt, in quo genere ſunt quæ tepidam facultatem habent, veluti radices regiorum aſparagorum, altheæ & rubi, acetum ſcylliticum, ſeu oximel ſcylliticum, quod magis ſenibus conuenit, vitrum combuſtum, ſemen altheæ, ameos, amygdala amara, aniſum, apium montanum,

aqua mellis,aqua cicerum,balſamus ſumptus atque linitus,bdellium,betonica, polium,verbena, millefolium,camæmelum, capillus veneris, fœniculi radix, geniſtæ, ceraſorum gummi, graminis radix & ſemen, lapis iudaicus, lapis ſpongiæ, cancer fluuialis, qui propriè gamarus eſt, renes ſicci leporis cum vino albo, item ſanguis & pellis eiuſdem combuſta in latere crudo, cum aqua calida ſumpta,lumbricorum terrenorum puluis cum rob, maluæ maioris ſemen, melonum ſemen, lithoſpermõ,citrorum grana & eorumdem oleum, oleum de ceraſis, oleum de alkekengi,polythricũ, ſaxifraga, oua piſcis ſæpiæ,ſcolopendrion, caſſia fiſtularis, zuccharum, ficus ſiccæ, paſſulæ; ſpelta, petroſelinum,cardui decoctum,viticis ſemen, & quæ eius generis ſunt, quorum ſingula partium decocta, partim tenuiſſimè trita præbeto bibenda.

Vbi verò hæc non ſuffecerint ad valentiora medicamenta tranſire oportet, inter quæ ſunt cicadæ ſiccæ ſine pennis & cruribus contuſæ,hircinus ſanguis arefactus.

Ceterum culcitris ex anſerum plumis non indormiẽdum, hæ ſiquidem valdè renes calefaciunt. Omnibus etiam confert calculoſis, vt ſæpè à cœna vomant:ſimiliter ante omnem cibum bibere aquam tepidam, vel à balneo tanquam omnium præſtantiſſimum remedium ad calculos arcendos Paulus commẽdat: ſimiliter quoq; oximel cum decocto adianti, apij,graminíſve.Per interualla quoque ea bibãt,quæ vi diuretica prædita ſunt,in quo genere eſt acori, calami aromatici, dauci, hyperi, & roriſmarini deco-

ctum. Confert etiam aliquando naturalium aquam riuorum bibere, vt experientia comprobatum eſt. Mirificè etiam prodeſt bis in menſe drach.j.pulueris pellis leporinæ cum aqua calida hauſta, vt præmonitum ſuperiùs fuit.

Omni tamen diligentia cauere oportet, vbicumque fuerit calculus, ſiue in renibus, ſiue in veſica, à diureticis, attenuantibus & lithotribis, ante primæ regionis expurgationem, emollientium, fomẽtorum & vnguentorum legitimum vſum, balnejvé aquæ dulcis ingreſſum. Præſtantiſſimum autem erit artificioſum, in quo recipiuntur foliorum apij, petroſelini, ſeminis vrticæ, pulegij, millefolij, origani, mentaſtri, iuniperi, lauri, parietariæ, ſcabioſæ, ſeminis lini, fœnugræci, ana lib.j.ſemiſs. Hæc omnia in duabus partibus aquæ & vna vini decoquantur, ſimulque in labrum proiiciantur, quod temperatè ingrediendum eſt ægro, ibique, quod ſatis eſt manẽdum, renibus prius innunctis & in ingreſſu & in exitu præſcriptis oleis.

Poſt præcedentis vſum balnei vtatur ſequentibus pulueribus, pilullis, & aquis.

℞. *Pulueris ſeminis ſaxifragæ, ſeminis cerefolij, cicadarum aridarum, ſanguinis hirci præparati (Hircus quatuor annorum nutritur per XXX. dies ex folijs hederæ vel ſaxifragæ circa ſolſtitiũ æſtiuum, interfecti ſanguis excipitur, ſiccatur, & in puluerem reducitur) ana vnc. ſemiß. Caryophyllon drach. iij. capiat prædicti pulueris drach.j. cũ vino diluto decoctione ſem. apij, petroſelini, gran. ſolis, & ſaxifragæ.* Vel his vtatur pilullis experientia comprobatis.

℞. *Saxifragæ, piperis, carui, ſcœnanthi, nardi, granorũ ſolis, drach.*

drach.v acori,aſari,ſeminis betonicæ,dauci, petroſelini,maſtichis,tragacanthi,ana drach ij. pulueris cicadarũ aridarũ, pedum & crurum galli aridorũ ana drach.iij.ſanguinis hirci ſupraſcripti vnc j.conficiātur pilulæ cum ſucco quinque folij. Puluis pedum & crurium galli cum ſucco quinque folij mirabilem habet facultatem in renum effectibus,quod ab alio acceptum & experientia cõprobatum huc retuli. Nec ſilentio pretereundæ ſunt emulſiones quatuor ſeminum frigidorum maiorum totidemque minorum:item amygdalorum dulcium & amarorum,nucleorum ceraſi cum eorũdem oleis. Aqua ad eundem effectum mirabilis, cuius hæc eſt deſcriptio.

℞. *Radicum Aſparagi, Arundinis, Saxifragæ, virgæ aureæ, Milium ſolis,ana lib. ij. omnibus cum ſuis radicibus. Aceti ſcyllitici lib.iiij. Succi limonum,lib.ij. Vitri vſti, Polij montani, ana lib. j.*

Ponantur omnia parum contrita in vaſe diſtillatorio, diſtillatum excipiatur vaſe vitreo aſſeruetur que in futuros vſus. Datur à drach.ij. ad vnc.ſemiſ. cum vino diluto decoctione leuiſtici.

De Arthritide. CAPVT II.

ARTICVLARIS morbi triplex eſt cauſa efficiens: Principalis, ambientis aëris conſtitutio frigida: adiuuans, humorum tenuitas: ſine qua non, articulorum debilitas,frigiditas & denſitas. Materia efficienti ſubiecta cauſæ ſunt ipſi articuli: forma, intemperies calida, & ſolutio continui:finis, facultatis motricis deprauatio, quam antecedit fluxus excrementitiæ materiæ,conſequitur articulorum laxatio, membranarum diuulſio, vinculorum diſtractio,

ex iis omnibus inflammatio, ex inflammatione dolor acutiſſimus. Omnis autem inflãmatio, quia morbus acutus, intra quatuordecim dies iudicatur, aut intra quadraginta: prioris generis ſunt inflammationes, quę occuparunt partes molles, carnoſas, & non longè à fonte caloris diſſitas, qualis peripneumonia, pleuritis, & hepatitis. Poſteriorts verò, qui ἐκ μεταπτώσεως ſiue ex decidẽtia nũcupãtur, qualis arthritis in parte frigida denſa & longè à fonte caloris diſſita, in materia frigida, cuius maior in coquẽdo eſt cõtumacia, præſertim in ſenibus, qui ob frigidum & ſiccum temperamẽtum facultatumq; & organorũ omnium imbecillitatem variis pituitæ ſpeciebus abundant. Vitanda igitur omnia, quæ tum algorem, tum humorum defluxum excitare poſſunt, in quo genere ſunt cauſæ euidentes & abditæ. Euidentium nomine intelligimus res non naturales, ambientis aëris frigidam & intempeſtiuam conſtitutionem, vitam genialem & deſidioſam, alimentorum in ſubſtantia dyſpepſiam, in quantitate ametriam, in qualitate improbitatem, in ordine confuſionem, his accedit Bacchi & Veneris vſus immoderatus, labor improbus, vehemens ambulatio, creber equitatus, inſueta frigidæ potatio, vigiliarum & ſomni ametria, aſſuetarum excretionum ſuppreſſio, mœrores, curæ, iracundia, cæteræque animi perturbationes. Abditarum nomine tantùm illas breuitatis gratia proponemus, quæ maxima ex parte ſenilem podagram efficere ſolent, pituitoſi videlicet humoris defluxionem, & articuli frigidam intemperiem.

Eſt autē duplex articuli intēperies,nuda, & cum materia:nuda in qua nullus apparet tumor, ob id à multis neglecta neque inter articulares morbos relata, ſed quàm bene fecerint ipſi videāt.Altera cū materia & tumore,cuius color palidus,albidus, aquæ intercuti ferè ſimilis,digitorum impreſſioni facilè cedēs. De vtroque Galenus ſuper aphoriſmo ita loquitur: *articulorum dolores ſenibus fiunt fluentibus aliquando ad has partes excrementis pituitoſis,aliquādo verò propter inſtrumentorum, quæ natura ad partium motum fabricauit, frigidam intemperiem.* Vbi affectum, Hippocratem ſecutus, â notiori ſymptomate dolorem nominauit.

Dolores autem intenduntur & remittuntur prout fuerit frigida cœli conſtitutio, fluentis humoris acerbitas & partis robur aut infirmitas,vnde fit, vt quotieſcunque fluxio in partes fertur neruoſas frigidas & debiles non ſoluantur ante 40, diem: ſi verò in carnoſas, calidiores, & robuſtiores intra xiiij. diem terminabuntur:idem iudiciū eſto de paroxiſmis,qui quotidie paulatim irruunt & augentur, ita ferè vt per plures horas durēt,breuémque habeant intermiſſionis capedinem, ah quid dixi breuem intercapedinem, immò ferè nullam, brumali præſertim tempore, in quo grauiſſimè ſenilem ætatem moleſtant.Vitāda igitur quæcunque pituitoſi humoris fluxionem & articuli frigidam intemperiem augent, qualia ſunt refrigerātia humectantia & incraſſantia, velut à cibo balnea. Nam congeſta in parte materia in tophos concreſcit ſpémque omnem adimit articulum ad priſtinam conſtitutionem reſtituere poſſe, *ægriùs* enim *eÿcitur, quàm non admittitur hoſpes.*

Quoniam verò in ſenibus articularis morbi (vt à nobis iam dictum eſt) præcipuæ cauſæ ſunt duæ, articulorum imbecillitas ab intemperie frigida, & humorum metaſtaſis à turgente plenitudine: propterea totidem etiam ſanationis ſcopi nobis præfigantur, euacuatio nempe turgentis plenitudinis & corroboratio per modificationem contrariorum intemperiei frigidæ. Aër igitur calidus & ſiccus eligatur, aut ſaltem temperatus, ſomnus moderatus (nam & moderatæ etiam vigiliæ conferunt) circa fluxionis initia quies, poſteà exercitium valde conducit, alui excrementa quotidie natura vel arte excernantur adhibitis ne dum lenibus, ſed efficacioribus quoque enematibus, inedia quoque vtendum eſt ad plures dies: nam pituitoſa natura eam bene tollerare poteſt, cibi igitur tribuantur, qui non admodum nutriant ſed extenuent, ac aliquo pacto ſiccent, velut orizæ ſucci, paſſerculi montani, nuces iuglandes, piſtachia, vuæ paſſæ, & cappares ex aceto mulſæ. Licebit etiam paruis piſcibus vti in petroſis aquis coalitis, aſsis aut elixis, adiectis quibuſdam herbis extenuantibus, fœniculo, hyſſopo, ſatureja. ſampſuco, & pulegio. Ab aliis piſcibus & carnibus abſtinendum: item à leguminibus, fugacibus fructibus reliquiſque refrigerantibus, à copioſiore vino præſertim nigro, ſed interualli tempore quàm minimum vinum, tenue fuluum, & vetus præbeatur. Loco etiam vini aqua mulſa cum cinamomo & aniſo vti poterunt. Vena ſenibus articuloſis nullo pacto ſecanda, ne imbecilliores reddantur, quod ſi plenitudinis neceſsitas ſanguinis miſsionem poſtulauerit, hoc tantùm in morbi initio reuulſionis gratia permittendũ, ſed diligẽti cũ præmeditatione faciendũ.

Euacuandus igitur eſt pituitoſus humor aut per vomitum,aut per deiectionem alui inferiorem. Familiarior tamen pituitæ via,minuſque periculoſa per inteſtina exiſtit. Ducatur ergò paulatim per locum naturæ conuenientem, non ſemel & ſimul, ſed partito opere, nam craſſiora & cruda recrementa vno conatu vix extrahi poſſunt,relinquenda igitur cruda naturæ, quæ ſunt cocta per epicraſin ſubducantur. Interea humorum coctioni incumbentẽ naturam iuuare licet eíque tribuenda,quæ vim habeant attenuandi & incidendi. Sic enim præparati pituitoſi humores ad purgationem magis idonei efficientur. Præparantur autem melle roſaceo,ſyrupo de ſtœcade,oximelite ſimplici aut Scyllino,adiecto ſyrupo è ſucco borraginis aut de multiplici infuſione roſarũ,quibus ita præparatis tale præbeatur catharticon.

℞. Mellis roſati è pluribus infuſionibus vnc. ij. Elect. Indi maioris drach.iij. Diſſoluantur cum decocto florum & fructuum cordialium paſſul. & ſtœcados. Capiat manè ad auroram. Vel capiat pillulas v. de agarico vel ſagapeno.

Hæc quidẽ præſtantiſsima ſunt in pituitoſi humoris euacuatione , nec ſemel duntaxat, ſed etiam bis ſæpiuſque,vbi neceſsitas vrget, ſunt repetenda. Poſt purgationem verò corporis cauſæ morbificæ veſtigia naturæ impreſſa conuenienti deleantur antidoto veluti theriaca,mitridatio,& diacorallio. Deinde vtrique parti mittenti & recipienti diligentiſsimè prouidendum eſt, mittenti interceptione viarum rupta aut aperta cute cauſtico in brachio aut capite, recipienti remediis quæ partim dolorem leniant partim morbum funditus tollãt. Primi generis ſunt anodyna, ſecundi laphy-

ſtica, & corroborantia. Imponantur ergo quæ vim habent leniendi, diſcutiendi, atque aſtringendi: aſtringẽtia circa initia, diſcutientia & exſiccantia magis in reliquum morbi tempus. Talia ſunt terebinthi folia viridia & tenera cum adipe ſuillo recenti trita, vnguento roſaceo & pauca cera adiecta: item cupreſsi folia, necnon cyperi radix: braſsicæ etiam folia minutim conciſa & obducta: apij ſimiliter, coniſæ, aut altheæ folia cocta & trita tum per ſe, tum cum polline, aut hordeacea farina. Quinetiam, Thymum, origanũ, ſatureiam & calamintham in aceto acerrimo decoquito, vbi verò probè fuerint decocta eodẽ decoctionis aceto adhuc calido affectas partes non modo ſemel aut iterum ſed frequenter foueto. Vbi vero dolor moderatior euaſerit, iis vtendum eſt medicamentis, quę non ſolùm ſummæ cuti impacta, ſed etiam in alto defixa, calefacere & diſcutere poſſunt in hunc ferè modum.

℞. *Succi radicis ebuli vnc. iij. reſinæ pini & terebinthinæ ana vnc. iiij. Olei vulpini & chamamelini ana vnc. ij. cremoris, ſiue emulſionis ſeminis altheæ, ſeminis lini, & fœnugræci, ana vnc. ij.* ÷ *Opopanacis, ſagapeni & ammoniaci in aceto diſſoluti ana vnc.* ÷ *Croci drach. j. adipis ſuilli vnc. j. Ceræ quantum ſufficit, fiat ceratum.* Hoc etiam tempore naturalia balnea diſcutiendi & exſiccandi vi prædita conferunt, item aqua marina, lixiuio ad hoc parato, vel vino aſtringenti articulos affectos fouere conueniet, vt tamen materia fuerit craſsior vel tenuior, ita citiùs aut ſeriùs diſcutietur.

Poſtremò, quia extremis morbis extrema debentur remedia ſi prædicta materia fuerit contumacior, nec præcedentibus velit cedere remediis, opportunum erit

infra

infra articulũ magis arthriticæ obnoxium fluxioni veſicatorium aut cauterium admouere, vt humori, quo vincula, nerui & tendines afficiũtur, liber detur exitus.

Hactenus de triplici cauſarum efficientium genere, frigida cœli conſtitutione, cæteriſque rebus non naturalibus, humorum tenuitate, fluxu & congeſtione, partiũ debilitate & frigiditate: item de remediis prophylacticis & therapeuticis, quibus prouiſum eſt ſingulis cauſis antecedentibus & coniũctis. Nunc ſequitur earum affectus, nempe diatheſis phlegmonodes, quæ, velut forma materiam, articulos cum ſubiectis partibus, vinculis, tendinibus & neruis occupat, vnde doctis quibuſdam medicis non leuiter impoſitũ eſt, qui articularis morbi duo fecerunt genera, frigidam aut calidam intemperiem, cum re vera vna ſit tantum, videlicet frigida, vt Fernelio, poſt Galenum, viſum eſt. Nam phlegmone, ſeu partis inflammatio, morbus eſt morbo articulari epigenomenos, & tanquam forma incenſæ materiæ in parte frigida, non ſecus ac calor è calce, vt etiam feces olei cedrini, laricini, naphtæ, ſulphuris, ouorum, ſalis petræ, vitrioli, tartari cocti, quæ aqua reſperſæ inflammantur, eáque ratione tophi in articulis generantur & calculi in renibus aut veſica, cũ ſit vtriuſque frigidum cauſa materialis & calidum efficiens. His ritè ponderatis, intelligere facile eſt, cur articularis affectus tanta ſit in curando difficultas, quæ non aliunde, quàm à remediorum inter ſe pugna petenda eſt, quibus medicinæ artifices, dum alij cauſæ, alij effectui ſtudent, modo calidis primò & per ſe cauſam impugnant, modo frigidis effectui aduerſantur. Hinc fit, vt qui calidis intemperiem frigidam moderare aut pitui-

toſos humores coquere volũt Phlegmonodẽ diatheſin intendant &,qui illã conſequuntur,dolores: qui verò frigidis caloris incẽdium temperare,aut narcoticis dolorem ſedare,partium robori auerſentur, frigidam intemperiem augeant,congeſtam materiam magis denſent.Quare frigidis & narcoticis remediis, propoſitis à me remediis in vtriuſque & cauſæ & effectus ſublationem in ſenili præſertim ætate ſufficientibus, parcè vtendum eſſe conſulo.

De crurum ſtupore.

CAPVT III.

CVM neque tantùm arthritidem verùm etiam nephritidem,de quibus modo diximus,crurum ſtupor conſequatur, qui ſenſus & motus difficultatem inducit, prouidendum erit diligenter, ne propter affinitatem, quam habet ſtupor cum paralyſi,fiat vnius in alterius naturam conuerſio. Sub eodem quippe genere ſtupor & reſolutio contineтur facultatis ſcilicet animalis læſæ. Differt tamen læſionis magnitudine, quia in paralyſi facultas penitus abolita eſt, in ſtupore deprauata. Stupor,igitur vt ad propoſitum redeamus,eſt facultatis animalis læſio imperfecta ab inſigni partis alicuius refrigeratione. Paralyſis verò eiuſdem facultatis læſio perfecta,aut à caloris interceptione,aut eiuſdem extinctione, qua penitus concidunt motus & sẽſus, vt planè videre eſt in his, qui hyeme per niuoſa altiſſimarum Alpium iuga iter faciẽtes à circumfuſi aëris frigiditate ſenſu & motu priuantur, aut qui narcoticis medi

medicamẽtis, ſiue intra corpus aſſumptis ſiue extra admotis immobiles & ſenſus expertes iacent. Ergo, vt intenſa refrigeratio ſenſum & motum penitus aufert, ita remiſſa vtrumque remittit, nominatúrque huiuſmodi remiſſio ſtupor. Refrigerãtur autem particulæ, aut poſitiuè, aut priuatiuè: poſitiuè, vt ſi quis torpedinem animal tetigerit, in quo genere ſunt narcotica medicamenta: priuatiuè vt in caloris & ſpirituum interceptione, quando videlicet meatus, per quos in partes influunt, comprimuntur aut obſtruuntur, veluti in crurum ſtupore propter conſenſum venæ cauæ & magnæ arteriæ dorſo incumbentium cum quinto cruris muſculo, Pſoa à Galeno appellato, cuius productio à decima, vndecima & duodecima thoracis vertebra, & à tribus ſuperioribus lũborum inde per pubem demiſſa cum longo fortiq; tendone in paruo inſeritur trochantere. Hic compreſſus loci vicinia & priuatus benefico caloris & ſpirituum influxu propter vaſorum, quæ ad illum pertinent, interceptionem condolet, ſtuporéque per crura diffuſo condolentiam teſtatur. Ita in nephritide. In arthritide verò caloris inſiti ob immoderatum narcoticorum vſum proſtratio, extinctio, aut ſuffocatio. Vtraque de cauſa igitur crura diminuto calore ſtupeſcunt, cuius integritate reſtituta, ſenſus & motus pariter facultate donantur.

Reſtituetur autem ablatione calculi obſtruentis in nephritide, & narcoticorum in arthritide, vt ſpiritibus & calori denuo ad partes liber pateat aditus: quia verò impreſſum mali veſtigium, longaque temporis intercapedine cõfirmatum non ita facilè deleri poteſt, ideo topicorum adminiculo medicamentorum opus eſt, vt

ad priſtinam membrum redeat integritatem. Cuius rei domus ſit exemplum, quæ feneſtrarum occluſione per aliquot dies radiis priuata ſolaribus, illarum tamen reſeratione non ſtatim benefico ſolis tepore incaleſcit, niſi priùs excitatus focus ſqualorem & ſitum tenebricoſa feneſtrarũ occluſione contractos dimoueret. Conſimili ratione, neque ſpiritus partem aliquam ſtatim illuſtrare, neque calor benefico tepore calefacere, niſi priùs topicorum adminiculo medicamentorum excitati impreſſum mali veſtigium penitus deleant. Ergo curata nephritide pariterque arthritide medicamentis partes affectas ſiue primò & per ſe, ſiue per cõſenſum corroborare conuenit. Sint autem huiuſmodi remedia leuia, qualis aqua marina, vel thermarum, quibus crura calidè & frequenter fouere conducit, vel decocto florum ſtœcados, calaminthæ, hiſſopi, primulæ veris, deinde ad vnctiones properandum, cuiuſmodi ſunt, quæ fiunt ex oleo vulpino, de nuce moſchata, nardino, aut è terrenis vermibus parato. Conducent quoque & cucurbitulæ ſine ſcarificatione, nam harum beneficio calor & ſpiritus influentes ad partem accedent, quæ poſtremò opperienda erit vulpina pelle. Podagricis, cæteríſq; articularibus morbis, qui ob topicorũ intemperatũ vſum, ſiue calidorũ ſiue narcoticorũ in pede, aut iſchio, aut manu mali veſtigiũ reliquerunt, à contrarijs ſumpta indicatione remedij genus eſt perueſtigandum, tot gradibus caloris vel frigoris à mediocritate recedens, quod antecedens remedium gradibus ſiue calidi, ſiue frigidi ab eadem mediocritate receſſit. Sunt enim non pauci medicinæ artifices, qui nullo fine proſpecto tantùm dolori mitigando incumbunt,

aut

aut quia ſic credunt ſe magis ægro placituros, aut eò faciliùs ſibi auram afflare popularem. Stulti qui nulla methodo curantes ægrorum diſpendio ſuam rem faciunt: dum ſuis narcoticis occupati, aut priſtinum affectum augent, aut alium grauiorem procreant. Itaque ad propoſitam redeuntes enarrationem, vnde digreſſi fuimus, conſulimus, vt qui in ſedando articulari dolore partem ſtupore læſerunt à præcedentibus illis eſſe petenda remedia, quibus nimis refrigerata excalfaciēt, aut ſi immoderato calidorum & deſiccantium vſu cōgeſta materia in thophos abierit, aut partim ſubſtantia caloſa euaſerit, aut denique calor & ſpiritus ſint reſoluti in halitum, Malacticis ſiue remolientibus, velut adipe ſuillo, caprillo, vitulino, anſerino, & medulla præſertim ceruina, althæa biſcocta, & reliquis huiuſmodi reſoluentur.

De Hydrope.

Capvt IIII.

Hactenvs de intemperie frigida, quam humida conſequitur à iecore per vniuerſam corporis molem ſe diffundens. In hoc igitur affectu totum corpus laxius fit & molle cum virore albicans: greſſus quoque ita inualidus, vt crura vacillent. In principio coctio deprauatur manente ciborum cupedia, poſtea tandem deprauatæ coctioni ciborū faſtidium accidit cum reſpiratione rara & difficili: aluus etiam inæqualia recrementa excernit, quæ ſymptomata intemperiem, frigidam & humidam, velut vmbra corpus indicant.

Si enim ſanitas eſt affectus ſecundum naturam actiones primò inſiti caloris ope perficiens, non dubium eſſe debet, calore ſublato, quem ſanitatis idoneum dicimus inſtrumentum, actiones eius imperfectas remanere maximéque omniũ hęmatoſin, cuius vitio cacochymia pituitoſa in iecore generatur, à quo per vniuerſam corporis molem ſe diffundens fœdo corporis colore alijſq; ſimplicibus affectibus frigidã & humidam eamque aſcititiam teſtatur intemperiem: nam ſenum naturale & inſitum temperamentum eſt frigidum & ſiccum, vt docet Galenus in libro de ſalubri dieta, & tertio de morbis vulgaribus, & ſuper aph. xxxi. ſectionis iij. Vnde fit, vt quotieſcunque inſitũ temperamentum aſcititio intenditur, aut in peius degenerat, ſenes facilè in hydropem incidant. Quare ſiue iecur primariò, ſiue per conſenſum refrigeretur, Hæmatoſis, quæ eſt vis concoquens in iecore, tripliciter lædetur: Aut quia diminuta eſt, vndę atonia, aut deprauata, vnde cachexia, aut denique abolita, vnde triplex hydropis genus: primum à vitio primæ concoctionis, quæ fit in ventriculo, & vocatur tympanites: ſecundum à vitio ſecundæ concoctionis, id eſt, hæmatoſeos, quæ fit in iecore, & aſcites dicitur: poſtremũ vitio tertiæ concoctionis, quę fit in venis & habitu & appellatur œdema totius corporis, à latinis intercus, à Græcis anaſarca, leucophlegmatia. Ita tripliciter læditur facultas concoquens in iecore refrigerato. Læſionem vero conſequuntur ametria excretorum & retentorum, vnde triplex hydropis genus. Ab his poſtremò omnibus ſimplices affectus, color palidus maximè, & ſimiles. Hæc itaque iecoris affectio longos morbos inducit, quibus facilè corripiun

ripiuntur ſenes, facilè quoque ea liberantur.

Quantùm verò ad curam attinet, aër eligatur ad calidam & ſiccam temperiem inclinans: ſomnus moderatus ſit & nocturnus: longus & diurnus omnino vitetur: moderatis deambulationibus, geſtationibus, vociferationibus, & frictionibus ſiccis adminiculo lintei ex lino crudo confecti vtendum eſt. Hæc enim exercitia moderata conducunt. Aluus ſoluta ſit natura, vel arte, enematibus, & glandibus. Cibi offerantur illis ſimplices eupepti, & euchymi. Vitanda ſunt omnia bellaria, item nidoroſa, graue-olentia, humoris craſſi, viſcoſa & quæ difficilè coquuntur. Vinũ autem conuenit album, tenue, & odorum: aquæ potus omnino vitandus. In ſumma victus ſit tenuis & ſiccus nulla habita ſenectutis ratione. Purgatio etiam ijs maximè confert ex hyera, Agarico, Myrobalanis, poſt quam vinũ abſynthites maximè conferet.

De Vertigine.

CAPVT V.

VERTIGO autem non paucis ſenibus ſuperuenit propter ſpiritum vaporoſum, qui in prioribus cerebri ventriculis inordinato cietur motu. Huius duo sũt genera, dinos vertigo ſimplex, & ſcotoma tenebricoſa vertigo. Vtrúmq; ſymptoma eſt deprauatæ phãtaſiç, *Cũ geminos ſoles geminas & cernere Thebas* ſe credũt. Ad ſcotoma etiã accedit viſus abolitio, quinetiã vtriq;

viſus deprauatio, vt ſit ſymptoma ſymp tomati epigenomenon. Vtriuſque eadem eſt generatio ab inordinato flatuoſi ſpiritus motu, qui vel per ſe primò à frigida cerebri intemperie excitatur, aut per conſenſum ventriculi, iecoris & cordis ex infernis partibus ſurſũ tranſlatus. Si ex prima capitis affectione oriatur vehemens præcedet capitis dolor, aut grauitas, aurium ſonitus, & olfactus læſio, nonnullis etiã guſtus aut alterius ſenſus deprauatio, quam inæqualis cerebri intemperies eaq; frigida rurſus antecedit. Si verò per conſenſum oris vẽtriculi cum cerrebro, antecedit cardiogmos, aut anorexia degenerante flaua bile in vitellinam & æruginoſam denique in nigram, ita vt huius fuligine aqueus oculorum humor inficiatur, vnde ſcotoma: in hoc genere eſt conſenſus cordis & iecoris cum cerebro per communionem venarum & arteriarum, quibus ſanguis vaporoſus ſuperius fertur in æſtu & perturbatione critica. At quoquo modo vertigo fiat, perpetuò ad inæqualem, turbulentum & inordinatum flatuoſi ſpiritus motum in cerebro eſt referenda, qui ſeſe animali immiſcẽs eius diuinas euertit operationes in hunc modũ.

Dum calor natiuus corporis humores cum diſſoluere tum effundere & per inſenſibiles meatus excernere nititur, viribus impar eluctatur calefactáque materia in flatus reſoluitur. Hæc autem caloris cum humoribus eluctatio, aut fit cũ humore frigido & glutinoſo in capite genitó, vnde ex quauis leui occaſione calefacto capite vertigo excitatur: aut cum vapore pituitoſo, bilioſo, aut melancholico ex inferioribus viſceribus illuc ſublato, vnde ex quauis refectione calefacto ſanguine vertigo excitatur.

Senes

Senes igitur propter natiui caloris imbecilitatē facilè prædictis corripiuntur affectibus, nequaquā parui faciendi, cū vertigo epilepſiæ & apoplexiæ ſit finitima, vnde nec immeritò veteres vertiginē paruam epilepſiam nominarunt, quippe quæ futuram illā denunciet.

Aër igitur eligendus erit temperatus, purus & lucidus: fugiant aërem nebuloſum, craſſum & nocturnū: caueant à ventis maximè auſtralibus: vitent ſolis & lunæ radios, rerum velociter motarū aſpectum, fluminū vortices, rotarum circumuerſiones, & ex alto loco proſpectū in profunda præcipitia. Somnus ſit mediocris & nocturnus lōgè à paſtu in calido cubiculo: nocturna capitis ornamenta ſunto leuia: aluus laxa arte vel natura, interdum glādibus vel enematibus excitanda: exercitio vtendum eſt moderato, aut eius loco frictionibus matutinis à ſummis ad ima. Capitis volubilis circūductio, nutatio, inclinatio, euerſio, contenſio & vociferatio ſunt fugienda. Abſtinendum etiam à venere & animi perturbationibus, præſertim ira, timore, & mœſtitia. Cibi ſunt eligendi Euchymi, Eupepti, flatus exortes: ſtomacho & ventri commodi, quantitate moderati; quia in hoc affectu ſatietatis & famis par eſt periculum. Vinum moderatè bibēdum, album, tenue, oligophorum, anniculum, ne caput vapore grauetur, qua ratione ſunt fugienda cæpa, allium, porrum, caſtanea, legumina & id genus reliqua. A cibo ſunt ſtatim exhibenda quæ vim habent aſtringendi, ne vapores ſurſum ferantur, tum maximè ſi per conſenſum ventriculi caput afficiatur.

In paroxiſmo verò excitare ægros conuenit tū odoratis velut ambaro, ben-iuino, moſcho & gūmi ſtyra-

ceo,tum frictionibus & id genus aliis. Deinde glandibus ex hyera, agarico, ſale gemmeo, & melle deſpumato confectis aluus ſollicitanda, aut acri clyſtere ſubducenda. Interea vniuerſali & ſingulari illius humoris præparatione, ſeu coctione, qui in vitio eſſe iudicatur, purgatio corporis eſt inſtituenda: nam ſi pituita in vitio eſt, agarico: ſi bilis rhabarbaro: ſi melancholia foliis ſennæ vacuetur. Quod ſi craſſus humor fuerit, qualis ſenibus eſſe ſolet oximelite aut conuenienti aliquo ſyrupo aut apozemate prius attenuandus & coquendus, quàm trahēdus catharctico, cuiuſmodi ſunt pillulæ de agarico, aureæ, cochiæ & ſimilia: item myrobalanorum chebularum aut indarū decoctum, mel de multiplici infuſione roſarum, quibus nō abſonū erit addere ſenam & epithymū. Poſtremò, ſingulari capitis prouiſione apophlegmatiſmis pituitam per os detrahemus. Naribus deinde infundemus aquā hordei integri cum anagallidis ſucco, aut radicis betæ vel ciclaminis: gargariſmis quoque vtendum ex origani & pulegij decocto cum aceto mulſo: Odor præterea ſuſcitatus ex vapore decocti amaraci, hyſſopi, florū ſtœcados cū pauco caſtoreo & per infundibulum ad nares perueniēs multum proderit, veluti cucurbitulę ad occipitium affixæ in vaporoſi ſanguinis metaſtaſi.

At ſi ex humoribus in ventriculi præſertim ore contentis vaporoſus ſpiritus in cerebrum delatus vertiginem induxerit vomitu curetur concitato ex anethi & rhaphani decocto, in quo acetoſus ſyrupus aut oximel permiſcetur tepidúmque potiſſimum à cibo ſumatur, quod ſi non ſuffecerit, conducet eos purgare ex Hiera picra Gal. aut ex ſtomachicis pilullis, myroba

robalanorum decocto & manna, aut ſyrupo de multiplici infuſione roſarum rubrarum habita ratione humoris prædominantis.

De catarrho, ſiue de humorum defluxione in ſingulas corporis humani partes.

Capvt VI.

INter Cauſas igitur, quæ humanum corpus de ſua integritate decedere faciunt, præcipuam catarrhum omnes medicinæ artifices agnoſcunt: nam cum homini præ reliquis animantibus os ſublime natura dederit, vt ea capitis poſitura celeſtem eius teſtaretur originem: cerebrum etiã ampliſſimũ, quo fœliciùs omnes obiret ſenſus & motus functiones, catarrho frequentiſſima morborum cauſa obnoxium fecit, vt quanto animæ facultatibus bono ſe ſtudioſam, tanto corporeæ valetudinis maximo malo inimicam præſtiterit, adeo nulla ſit ætas, quæ non aliquo morbi genere ſit obnoxia ex catarrho geniti, & maximè ſenilis omnium malorum portus.

Quocirca antequam ad therapeutica catarrhi remedia accedamus, non alienum erit à propoſito ſcopo, qui fuit de affectibus ſenum præcauendis & curandis, ſi rem paulò altiùs repetentes, catarrhi pathologiam breui oratione perſequamur, eiuſque homonimiam effectus & cauſæ tollamus in hunc plane modum. Catarrhus quatenus eſt effectus definitur ſymptoma in retentione aut excretione

pituitoſi

pituitoſi humoris in capite contenti. Humor autem ſiue ſit pituita cruda, ſiue excrementum, non retinetur ſine alicuius facultatis læſione. Ergo cum ſint quatuor naturalis facultatis ſpecies, attrahens, concoquens, aſſimilans & excernens, neceſſariò oportebit vnam aut alteram, aut omnes ſimul læſas eſſe: manifeſtè autem læduntur concoctio & excretio: nam cum vnaquæque pars congenere nutriatur ſanguine, cerebrum autem ſit temperamento frigido & humido, congenere ſanguine, videlicet pituitoſo alitur, vnde fit plerumque, vt facultas concoquens huiuſmodi obruta alimenti mole, obtundatur, magnúmque producat excremētorum aceruum, quorum ametriam cerebrum non ferre valens excretricem excitat, & qua poteſt via exonerat. Huius autem excretionis impetum adiuuat humoris tenuitas & ſubiectarum partium debilitas. Si verò humor craſſior & tenacior plus æquo fuerit, ſintque partes ſubiectæ robuſtiores, irrito conatu expultrix debilitata contumacem humorem in cerebri meatibus relinquet. Conſtat igitur à præfatis catarrhum affectū eſſe alicuius cauſæ intercedente facultatis læſione. Iam quæ ſit cauſa è precedenti oratione non difficile erit intelligere, duplicem autem eam cōſtituemus efficientem videlicet & materiam. Efficiens rurſus duplex eſt cauſa, calor & frigus, & rurſus caloris & frigoris duplex efficientia. Vt igitur à frigore auſpicemur, eoque inſito, nulla eſt pars in corpore humano cerebro frigidior, vnde fit, vt leui de cauſa frigus illud ingenitū à mediocritate in exuperantiam recedens, magnum calori inſito negotium faceſſat, viréſque obtūdat, quo fit, vt qui ſunt temperamento cerebri frigidiore ſint magis catarrhis

tarrhis obnoxij facultate concoctrice caloris diminutione imperfecta remanente. Quid autem exiſtimandum ſi frigus alienum inſito accedat, quale naturaliter ſenibus, aut præter naturam cuiuis à frigida victus inſtitutione? Sunt quidem oſſa frigida at ſua ſiccitate frigidi iniuriam leuiter ferunt cæteriſque incurſantiũ rerum incommodis difficilè ſuccumbunt. At cerebri mollis & humida ſubſtantia quauis frigoris efficientia facilè commouetur. Naturæ tamen prouidentia cranio tanquam galea contra incurſantium rerum impetus armata externi etiam frigoris iniuriis non facilè patet, ſuperatur tamen atque peruia fit viribus ſideris, quod ſua circunuerſione immutabilem oceani moderatur curſum, ſingulis menſibus cum illo incrementi & decrementi leges obſeruat. Hinc quauis frigida cœli conſtitutione facilè commouetur.

Nunc qua ratione catharrus à calore excitatur exponendum: diximus enim temperamento cerebrum omnium eſſe frigidiſſimũ, ſi cõferatur cum reliquis humani corporis partibus. At ſi cerebrum Dionis conferatur cum cerebro Theonis, fieri poteſt vt vnũ altero ſit calidius, eaque ratione feliciores obeat functiones, cuiuſmodi videre eſt temperamenta apud Galenum in parua arte: neque tamen hîc calor quicquam inferre mali putandus eſt. At ſi externi aduentu caloris, calida nempe victus inſtitutione, aut venarum & arteriarum communione cum cerebro de naturali mediocritate recedat, in cranio clauſus, velut in cucurbitula ignis, vapores ad ſe proliciet, quos rurſus aqueſcentes inſita cerebri frigiditate deorſum reflectet.

Duplicem catarrhi cauſam conſtituimus efficientem & materiam, de efficiente hactenus, nunc de materia breuiter dicendum. Itaque duplex erit catarrhi materia, pituitoſum videlicet excrementum & vapor, quorum hic aut vi caloris adſcititij ad cranion rapitur, qui inde reflexus, vt dictum eſt, aqueſcit: aut ſponte ſurſum transfertur ex humoribus in aliquo viſcere incaleſcentibus progenitus. Signa diagnoſtica læſarum facultatum naturalium, quæ inter cauſas efficientes & catarrhum intercedunt, petuntur ab excretorum & retentorum ametria, & ſimplicibus affectibus, nam pruritus, verbi gratia, in parte recipiente cauſam calidam indicat. Sed nimis longum eſſet ſingula percurrere catarrhi therapiæ properanti.

Reſtat altera catarrhi, quatenus eſt cauſa, homonimiæ explanatio. Diximus enim in præcedenti oratione catarrhum eſſe effectum, videlicet intemperati cerebri, nunc verò eundem cauſam eſſe aliorum effectuum demonſtrabimus: Catarrhus enim matrem habet intemperiem, ſobolem verò omnes pene morbos, alios genitos in proprio domicilio, alios in alienis, liceat mihi familiari exemplo rem enodaſſe difficilem.

Catarrhus ergo, vt cauſſa innumerabiles producit effectus, qui è ſuprema hominis parte, velut nubes è media ambientis aëris regione antiperiſtaſi caloris frigida & humida, pluuiis, niui & grandini generandis accommodata ſommos montium vertices cana niue conſpergit. Hinc primo fauonij flatu liquefactæ niues in ſubiectam agrorum planiciem

præci

præcipiti deuoluuntur lapſu, pontes, arbores, & domos plerumque ſecum trahentes. Contraria mũdi plaga, mediæ videlicet terræ viſcera, antiperiſtaſi frigoris calida, vaporibus, exhalationibus, fumis, flatibus, tremoribus ibi concitatis ſupernam aëris regionem nubibus, vnde rurſus niues & pluuiæ, replet. Ita è cerebro catarrhus, parte, videlicet, frigida & humida pituitæ & ſero generandis idonea, per patentes meatus, os, nares, fauces, œſophagon, aortan in ſubiectas corporis partes ventriculum & inteſtina, pulmones & præcordia frigidam vim pituitæ exonerat. Inferior contra calida vaporibus & exhalationibus, fumis, flatibus, generandis idonea: hinc excitato vapore cerebrum petitur, quinetiam calidi & frigidi repugnantia in profundis rerum & veſicæ lacunis lapides generantur, & velut è fodina eruuntur.

Sed ad rem redeuntes, catarrhus, vt cauſa, vel retinetur in cerebro, in quo primitus genitus eſt, aut à ſede migrat, alióque ſe transfert. Retinetur in cerebro impotentia facultatis excretricis, & humoris tenacitate, aut craſſitie, vnde ventriculorum cerebri cæterorúmque meatuum obſtructio, aut eiuſdem ſubſtantiæ refrigeratio, humectatio. Ab obſtructione rurſus priorum cerebri ventriculorum epilepſia, poſteriorum catalepſis & lethargus, vtriuſque apoplexia. A refrigeratione mentis ſtupor, ab humectatione ſomnolentia, ab vtraque Caros. Hæc catarrhus in domo paterna. At cum è ſede migrat propria, & aliò ſe transfert facultatis excretricis irritatione, & humoris tenuitate hæc ſecum infert incommoda per

patentes vias ſuperius enumeratas, coryſam ſtaphylon,branchon,pleuritin,phthiſin, aſthma, ventriculi relaxationem,anorexiam,cruditatem,diarrhæam, lięteriam & colicon dolorem. Per occultos amabroſin, tremorem,paralyſin, ſyncopen,palpitationem, febres catarrhales, atoniam,atrophiam,cachexiā, hydropem & arthritin. Ergo, quî poterit optima victus ratione & temperamenti modificatione tanta præuertere mala,

Númne decebit
Hunc hominem numero diuûm dignarier eſſe?

His ſuperatis ad therapeuticen accedere opportunum eſt:abſoluitur autem, intercedente optima victus ratione,quatuor capitibus,humoris videlicet præparatione & euacuatione: partis etiam mittentis prouiſione & recipientis curatione. Præparatur autem humor tenuis,à quo fluxio, incraſſatione: craſſus, à quo obſtructio,attenuatione: euacuatur frigidus purgatione, calidus ſanguinis miſſione. Pars mittens,videlicet cerebrum,roboratur cephalicis,vię,per quas fertur catarrhus, intercipiuntur cauteriis & funiculis. Pars recipiēs liberatur humoris reuulſione influentis, & deriuatione cauſæ coniunctæ,aut materiæ affuſæ. Singulis ſuæ debentur remediorum præſcriptiones, petendæ è vulgaribus curandi methodis, eas tantùm hîc proponemus, quibus catarrhum tuſſiculoſam, qua plurimum ſenes infeſtantur, curare ſolent. Horum enim gratia præſentem ſuſcepimus laborem, in eoſque deſinet.Sed de legitima victus ratione pauca ſunt nobis dicenda, priùs explicato aphoriſ. xl. ſection.ij. *Rocedines,* inquit Hippocrates, *& grauedines ſenio confectis*

ſectis non mitificantur. Quaſi dicat multò minùs alij morbi, qui raucedines ſuperant, vt aſthma,& phthoe, raucitatis ſoboles. Item peripneumonia ab acerrima diſtillatione, nephritis, arthritis, dolor colicus, & ſplenicus, tuſſis,&c.Tales enim morbi curari debent pepaſmo, lyſei, vel aræoſi: duo poſteriores modi in frigido habitu nullum locum habent, pepaſmus ægrè ſenibus ſuum officium facit.

Quia verò morborum remedia legitimè ſecundum artem præſcripta deorum auxiliares manus ſunt appellanda, non eſt tam graue malum, quo non ſit potentius remedium. Hac de cauſa ſine auxilio non ſunt relinquendi ſenes, ſed priùs habita ratione cauſæ morbificæ præcedentíſque dietæ, vtrique & dietæ dictam & cauſæ remedium contrarium opponere conuenit,ſed maximè hæc erunt obſeruanda. In primis pauco cibo & quiete vtendum eſt, vitato etiam calore & frigore, præſertim ſi repentina fiat aëris mutatio modo ad frigus modo ad calorem. Cauendum eſt à ſole, balneo,vino & venere:eligatur ergo aër, qui neque ſit impenſe calidus aut frigidus, verùm in cauſa frigida,qualem hic intelligimus, parum ad calidum inclinet. Caueant ventos tum auſtrinos, tum aquilonios,vitentque ſomnũ longiorem & diurnum, moderatus tamen in nocte confert. Procurandum quoque erit vt ſingulis diebus alui excrementa excernantur, ſi non natura ſaltem arte. Abſtineant ægri ab immodicis animi affectibus. Cibis vtantur eupeptis & euchymis leniter calefacientibus. Sorbitiones maximè proſunt,amyli,ptiſanæ,ouorum ſorbilium, quinetiam panis cum amygdalorũ ſucco decoctus, aut cum nucleis

pineis, item cauliculus braſſicæ, & ipſa braſsica cocta, butyrum quoque eis vtile exiſtit, & quibuſdam robuſtioribus porri probè cocti potiſsimum in raucedine, caueant vaporoſos cibos, vt cæpas, allia, ſinapi, ac ſimiles: ciborum quantitas moderata eſſe debet minor in cœna quàm in prandio ſit. Poſt cibum neque legant neque ſcribant. Vino abſtineant, cuius loco decoctum glycirrhizæ, aut cinamomi ſubſtituatur, aut melicratum, aut aquoſum vinum, cuius potus ſit exiguus: nam protelata ſitis non parum prodeſt.

Tandem capiti proſpiciendum eſt tanquam mali ſcaturigini, corroborandum & in calidam temperiem moderatè ducendum. Caput itaque nardino rutaceoque oleo perungi debet. Irinum verò non ſolum illinitur, ſed etiam naribus inſtillatur: in ſimiles vſus præſcribitur chamæmelinum & anethinum. Frigido autem exuperante humore, per ea, quæ talem purgāt medicamenta, corpus & caput vacuabis, in quem vſum conferunt acres clyſteres. Priùs tamen quam purgantia tribuas medicamenta, ex roſaceo melle, ſyrupo de glycirrhyſa, aut de hiſopo, iuiubino, aut ex ſucco borraginis, præparari & concoqui exuperans humor requirit cum aqua betonicæ, amaraci, & tandem pillulis ex hiera & agarico confectis euacuari.

Vtile quoque erit poſt vniuerſalem purgationem apophlegmatiſmo è capite cauſam morbificam educere: item cucurbitulis, frictionibus, & vinculis humores retrahere, caputque prædictis oleis irrigare, & ſacellis contegere in hunc modum compoſitis.

℞. *Hyſſo*

℞ Hyſſopi, maioranæ, florum Chamameli, meliloti, ana drach. j. ÷ florū ſtœcados, ſpicæ nardi ana ſcrup. j. maſtiches, ligni aloës, maceris, cuiuſque drach. ÷ Roſarum aridarum drach. iij. terantur ſingula & inter duos pannos ſericeos aut lineos imponantur fiátque ſacculus, coronali ſuturæ imponendus, quo etiam loco Phœnigmus, aut igneum cauterium, vbi diuturnior fuerit affectus vtiliter adhiberi poterit. Suffimentum quoque valde conuenit, quod hoc modo paretur.

℞. maceris, ligni aloes, ſpicæ, maſtiches, corticum Thuris, ana ſcrup. ÷ hyſſopi & amaraci, ana ſcrup. j ladani drach. j florum ſtœcados, Caryophylorum drach. ÷ roſ. rubr. ſicc. drach. ij paretur puluis & vtare.

Particulatim vero, vbi ad nares defluxio decumbit, vtendum eſt decocto amaraci, hyſſopi, ſerpilli, betonicæ, Pulegij, excipiendus vapor erit. Ex ijſdem quoque noduli fiant ore terendi. Si verò in os defluat, ex hyſſopi, pulegij amaraci & ficuum decocto colluatur.

Ad Tuſſim continendam ſublimius cubet cum pillullis bechicis in ore, aut Sauonia italorum, item eclegmate ſano, aut de pino.

Porro Tuſſis ex frigiditate inſtrumentorum reſpirationis ortæ ſigna ſunt, quod ſic affecti nihil inter tuſſiendum expuunt, neque violenta, tuſſis, neque coacta, ſed adeo exigua eſt: vt non ſolum per ſpiritus detenſionem ſupprimi, verum etiam ſanari poſſit, eo quod per ſpiritus detenſionem refrigerati pulmores calefiant. Huius rei ſignum ex eo perſpicitur, quod qui tali efficiuntur affectu, dum crebriùs inſpirando aëra trahunt magis irritantur, frigiditate videlicet

delicet exinde intenſiore facta; contra verò ſi leniter aëra inſpirent, aut in calido cubiculo verſentur, parum aut omnino nihil tuſſiunt. Facie ſunt illi palida, ſiti nulla premuntur, calidis optimè, frigidis malè afficiuntur, quod ex ore patet, illo enim aperto tuſſiunt, clauſo nequaquam. Qua propter per præſidia, quæ eaſdem excalfacere particulas poſſunt, curabitur. Ceruix itaque lanis calidis contegatur, rarò inſpiretur, & in calido verſentur cœnaculo. Abſtineant cibis & potibus frigidis.

Quæ verò ab vtraque parte palati cum titillatione contingunt tuſſes palam oſtendunt catarrhum à capite ad aſperam arteriam, itémque ad pulmones deferri, id quod facilè deprehenditur ex reſpiratione diffici·li Quare ſi craſſus & viſcidus humor tuſſis cauſa fuerit, per ea quæ incidunt & extenuant medendum eſt. Exhibenda igitur ſerapia, de Glycirrhyſa, de Hyſſopo, de Calamintha & ſimilia: poſtea vnicè confert agarici dilutum exhibere, quod in hunc paratur modum.

℞. *Agarici electi drach. ij. zinziberis ſcrup. j ſalis foſſilis gran. iij. trita macerentur per noctem in vini albi odoriferi vnc. ij. liquoris ſtillatitij abſinthij & fœniculi ana. vnc. ß. manè colentur & exprimantur. His adde antidoti Indi maioris drach. ij. — Oximelitis ſcyllitici vnc. ſemiſſ. fiat potio.*

Vacuato corpore eclegmata delingenda erunt è pino, ſano & experto, diaireos, & ſimilia. Præterea extrinſecus inungatur oleis calidis, liliaceo, irino, amygdalorum dulcium, adiectis pinguedinibus conuenientibus.

- *Catarrhi*
  - Pathologice
    - Vt Symptoma fit ab intemperie intercedente læſione
      - Facultatis naturalis
        - In coquendo ſanguine pituitoſo, quem cerebrum ad ſe trahit retinet & aſſimilat, in cuius facultatis læſione magnus fit excrementorum prouentus.
        - Excretione
          - Diminutè excrementorum copia oppreſſæ.
          - Deprauatæ excrementorum qualitate irritatæ.
      - Læſionis
        - Cauſæ
          - Efficiens
            - Prigus.
              - Inſitum: nam cerebri naturalis temperies eſt frigida & humida.
              - Aſcitum
                - Naturale, quale ſenũ.
                - Præter naturam à frigida victus ratione.
            - Calor
              - Inſitus comparatè ad naturalem cerebri temperiem.
              - Aſcitus
                - Per ſe primò, à calida victus ratione.
                - Per conſenſum communione venarum & arteriarum.
          - Materia in cerebro
            - Frigido pituita
              - Expreſſa frigida aeris conſtitutione.
              - Colliquata repentino caloris appulſu
            - Calido vapor
              - Attractus vi caloris aſcititij ad cranion, qui inde reflexus aqueſcit.
              - Sublatus ſponte ſurſum ex humoribus incaleſcentibus in aliquo viſcere.
        - Signa
          - Ametria excretorum & retentorum.
          - Simplicibus affectibus, vt pruritus in parte recipiente cauſam calidam indicat.
    - Vt cauſa facit affectus
      - Cerebri à retentis, vnde obſtructio anteriorum ventriculorum in epilepſia, poſteriorum in catalepſi, & lethargo, vtriuſque in apoplexia. Item refrigeratio ſubſtantiæ, vt in mentis ſtupore, humefactio, vt in ſomnolentia, vtraque vt in caro.
      - Totius ab excretis p meatus
        - Patentes, os catarrhum, nares coryſan, gurgulionem ſtaphyllum, fauces branchum, inde à faucibus in aſperam arteriam pleuritin, phthiſin, aſthma: in œſophagon ventriculi relaxationem, anorexiam, cruditatem, diarrheam, lienteriam, colicum dolorem.
        - Occultos, per neruos amauroſin, tremorem, paralyſin: per arterias syncopen, palpitationem: per venas febres catarrhales, atoniam, atrophiam, cachexiam, hydropem, arthritin.
  - Therapeutice in
    - Humoris
      - Præparation.
        - Tenuis, vnde fluxio, incraſſatione.
        - Craſſi, vnde obſtructio, attenuatione.
      - Euacuat.
        - Purgando in frigida intemperie.
        - Sanguinem detrahendo in calida.
    - Partis
      - Mittentis
        - Corroboratione.
        - Viarum, per quas fertur humor, interceptione.
      - Recipientis
        - Reuulſione.
        - Deriuatione.

De ſpirandi difficultate.

Caput VII.

Citra febrem nonnulli ita frequenter ſpirant, acſi eſſent concitatiore curſu fatigati, nec aliter quàm corpore erecto ſedere aut iacere poſſunt metuẽtes ſuffocationem. Ex quo perſpicuũ eſt meatus præter naturam coarctatos eſſe in reſpirationis inſtrumẽtis. Tale ſymptoma ſenibus, vt plurimùm, qui craſſorum & tenacium humorum copia pulmonis bronchia habent infarctá, ſolet accidere, vel ex catarrho illuc tranſlato, vel ex ſpirandi inſtrumentorum refrigeratione, qua excretrix facultas debilitata, aut excrementorum accumulatione obruta iacet iners. In hoc affectu victus ratio in genere calida & ſicca eſſe debet. Vitandus igitur aër frigidus & humidus: carnibus vtendum perdicum, auicularum montanarum, gallinarũ & huiuſmodi: fugiendi piſces, fructus & legumina & alia, quæ craſſos & vicidos humores procreant. Vſus ſit frequẽs hyſſopi, oreoſelini & fœniculi: vini quidem potio conuenit, cuius ſubſtantia ſit tenuis. Potus ſit illis copioſus, quibus bronchia & cartilagines tenacibus & craſſis humoribus ſunt infarcta. Liberaliori enim potu craſſi & tenaces humores ſunt humectandi: repurgãtibus etiam & abſtergentibus medicamentis commouendi: quamuis per ſputum non facilè repurgatur id, quod abſterſum eſt, ob craſſitiem. Exercitio ante cibum vtendum eſt moderato, nec cõcitato, quo plerique extincti ſunt: frictiones thoracis proſunt. Fugiantur animi perturbationes & in primis ira & triſtitia. Attenuandi ſunt humores, atque incidendi cum medicamẽtis ac facultate

prædi

prædictis citra excalefactionem, ab immoderato enim calore, velut etiam à frigore, craſſi & tenaces humores magis craſſeſcunt, coguntur átque contrahuntur, ita vt ſubinde difficilè abſtergi & auelli poſsint. Quare iis maximè prodeſt oximel ſcylliticũ, ipſáque ſcylla aſſa & trita cum melle poſtea delincta. Serapia item ex glycy rrhiza, marrubio & hyſſopo cum decocto earumdem herbarum. Tandem præmiſſa humorum ad euacuationem præparatione medicamenta fortia, quæ craſsos & tenaces humores vacuant, ſunt exhibenda, veluti pilullæ de Agarico & cocchiæ: item diaturpetum cum Rhabarbaro, aut agarici dilutum: aluus enematibus validioribus abluenda: Vomẽdum etiam per interualla ex ſumpto rhaphano & aliis quæ vomitium citant. Interea, dum frequentior fit purgatio, exhibenda erunt medicamenta, quæ ſenſim & paulatim humores in thorace contentos extenuare poſsint, veluti ariſtolochiæ rotundæ, helenij, & iridis radices, vrticæ ſemen, hyſſopus & ſimilia. Thoraci etiam olea, & vnguenta calefacentia, irinum nempe, anethinum, rutaceum & huiuſmodi cum adipibus admouenda: fricandus tamen linteo priùs aſpero, quo reſeratis & diductis meatibus vis medicamentorum ad profunda promptiùs penetrare valeat. Cæterùm iis etiam medicamentis, quæ exulcerare cutem, & ſaniem ſeroſoſque humores extrahere ad ſuperficiem poſſunt, vtendum eſt, qua ratione pectus vrtici s confricatum iuuatur.

Quinetiam oculorum & narium humiditates iiſdem præparantibus æquè atque purgantibus medicamentis curari haud difficilè poterunt. Quocirca

remediorum claſſes in catarrhi cura inſtitutæ, reiterandæ non ſunt.

De Dyſuria & Stranguria.

CAPVT VIII.

VRINÆ verò ſtillicidium & difficultates quum frigidam intemperiem conſequantur & humidã, ſicut alij enarrati affectus, non diſſimilem victus rationem requirunt. Stillicidia enim vrinæ, Græcè ſtranguria, ob expultricis, aut retentricis veſicę facultatis imbecilitatem: difficultas verò, Dyſuria, propter pituitæ meatum veſicæ obſtruentis copiam eueniunt. Cæterùm, vterque affectus frigidam & humidam ſequitur veſicæ intemperiem. Excalefacientibus igitur & exſiccantibus in horum ſymptomatũ curatione indigemus: nam in difficultate vrinæ ægrè & difficilè excernitur ob veſicæ imbecillitatem & intemperiem frigidam, quæ actionem eius ledit: interdum etiam propter pituitoſos & craſſos humores veſicæ ceruicem obſtruentes accidit. Cibis itaque calefaciẽtibus vtendum: vino quoque calido & condito: medicamẽtis præterea vrinam cientibus, qualis paſtinaca probè cocta, fœniculum, apium, aſparagus, hippoſelinum & ſimilia. Præter alia ſũmè conferũt antidotus diacalamynthes, dialachæ & diacucurmæ, theriaca quoque in potu data mirificè conducit. Extrinſecus perineum oleis calidis, rutaceo nimirum, anethino, liliaceo, ſcorpiorum, & de caſtoreo fouere oportet. Admouenda etiam fomenta & ſacculi ex chamæmelo, abrotano, betonica, artemiſia, ruta, calamintha ſabina, & ſimilibus. Si verò frigidus & pituitoſus humor difficultatem, vel vrinæ ſtillicidium

dium fecerit, tum oximelite vtendum erit, & decoctis hyſſopi, pulegij, origani, thymi & ſimilium ſuprà commemoratorum.

De reliquis ſenũ affectibus frigidis in aphoriſmo contentis. CAPVT IX.

QVI ſuperſunt morbi velut ſtimulantes pruritus à pituita putri, vigiliæ à ſiccitate cerebri, alui, oculorum & narrium excrementa à difficili concoctione, viſus hebetudines à ſpiritus animalis inopia & impuritate, glaucedines ab arefactione humoris cryſtallini, auditus graues à facultatis & inſtrumenti vitio, ſenili diſpoſitioni ſunt referendi, quæ reipſa ita morboſa eſt, vt permulti ſenectutem morbum naturalem, alij inſanabilem meritò dixerint: Quamuis enim *Senes magna ex parte minùs quàm iuuenes ægrotent*, vt docet Hippocrates, *diuturnis tamen morbis correpti commoriũtur.* Sunt autem duo diuturnorum morborum genera, cognati, vt ſeni tuſſis, alijque huiuſmodi vel à temperamenti, vel à conformationis eius vitio, qui ægrotat: ſiquidem & calor paucus & facultas imbecillis frigidos affectus concoquere, nec inſtrumentorũ vitia emẽdare poteſt: increſcẽtes verò, vt podagra & calculus, q licet in alia ſint ætate progeniti, vires tamẽ acquirũt eũdo, maximéq; omniũ ſenectutẽ moleſtant. Ad purgandã igitur putrem pituitam præſcribe leuia, mediocria, vel valida medicamenta, prout vires ſenis ferre poterũt, quia cauendũ eſt in ſenili corpore ab elaterijs propter pericula, quæ in 41. aphor. 7. ſect. contineatur, id quod obtinebis ſi variè flectus ad naturam ægrorum ſequẽtem potionem.

℞. Rhabarbari electi & agarici recenter trochiſcati ana drach. j. cinamomi ſcrup. j. infunde in vini albi & aquæ endiuiæ ana vnc. i. ß. in colatura diſſolue mannæ calab. vnc. ß. ſyrupi roſati laxatiui vnc. i. fiat potio. Parabitur etiã balneũ ad euocandam pituitã putrem per inſenſilem tranſpirationem, rarefacto vt cumq; habitu in hunc modum.

℞. Radicis galangæ craſſioris & ireos Florentinæ aná lib. j. raſuræ ligni ſancti & corticis eiuſdem, citri ſicci ana lib. ß. herbarum pulegij, calaminthes, thymi, rutæ, betonicæ, ſaluiæ, hyſſopi, mentæ, abſynthij pontici & ſummitatũ lauri ana m. ij. ſeminis aniſi, fœnugræci, anethi, baccharũ lauri ana p. ij. florũ chamæmeli, meliloti, ſtœcados, anthos, ſpicæ nardi & ſchœnãthos ana p. i. fiat decoctio in æquis partib. vini & aquæ pro balneo poſt prædictã purgationem, quod ingredietur tepidè.

℞. conſeruæ radicis ireos Flor florũ ſtœcados & anthos, ana drach. iij. Theriacæ electæ & veteris drach. j. ß. pulueris electarij aromatici caryophyl. drach. j. cũ ſyrupo conſeruæ calami aromatici fiat opiata, de qua capiat dra. j. hora vna ante balnei ingreſſum.

℞. Radicis chinæ rufæ, ponderoſæ & minutim conciſæ vnc. ij. infundatur per vj. horas in lib. iij. aquæ fontis per. vj. horas, deinde decoquatur ad tertiæ partis conſumptionẽ colatura ſeruetur in vaſe vitreo, qua vinũ diluatur ad corporis aræoſin, & pituitæ exitum. Sõnus conciliabitur humida temperatione, vapore alimentorũ benigno, & animi quiete: concoctio iuuabitur aſſumptis & admotis: aſsũptis, vt coriandri ſemine præparato, myrobalanis, iuglandibus, cortice citri, & nuce moſchata cõditis: admotis, vt puero carnoſo, caniculo, aut ſacculo minutim trãſſuto in ſcuti formam, vt qui habet *roſar. rubrarum, cytinorum, mentæ, abſynthij, maioranæ areſactorum ana drach. iij. ſpicæ nardi, galangæ, nucis moſchatæ & caryophylorũ ana drach. ij. cra*

ij. croci drach. ß. omnia in puluerē tenuiſſimum redacta. Spiritus animalis augetur & impuritas eius emendatur ſi quotidie manè ſumatur ieiuno ventriculo vnc. j. vini ophthalmici, quod ita paratur.

℞. Helenij minutim conciſi & in vmbra ſiccati vnc. ij. Euphraſiæ M. j ſem. fœnic. & ſileris mont. ana. vnc. j. contundantur craſſiuſculè & omnia in nodum concluſa ſuſpendantur in phiala vitrea per menſem integrū in prædictum vsū.

Arefactio autem humoris criſtalini, & denſatio membranæ auricularis vix emendationem recipiunt.

Reliqui ſenū affectus frigidi à caloris imbecillitate, organorū ſiccitate, facultatū debilitate & pituita prędominãte procreati, quos Hippocrates in prædicto aphoriſmo omiſit, sũt qui ſequũtur, febris ſcilicet quotidiana à cacochymia pituitoſa, tremor ab inopia caloris in ſenectute marceſcẽtis, ſternutatio laborioſa propter foraminũ ſpiritus cõpreſſionem, ſeminis penuria propter difficilem concoctionẽ, dentium vacillatio propter gingiuarũ laxitatẽ, eorundem eroſio & putrefactio à pituita acri & ſalſa, bleſitas, balbuties & hæſitatio propter linguæ debilitatẽ, quod vinolentis & pueris etiã familiare eſt, vox acuta propter organorũ compreſſionẽ, per quæ tenuis ſpiritus eliditur, quod pueris & ſpadonibus familiare eſt, eadem quoque tremula propter caloris imbecillitatẽ, quod trepidantibus, metuentibus & rigentibus quoque accidit, caro liuida caloris inopia, id etiam rigentibus commune, vibicatum & atrum corpus caloris extinctione & ſanguinis ſiccitatè melancholicis familiare, corpus cadaueroſum à putredine, rugoſum à cutis contractione, contractio autẽ ab humoris deſiccatione & calidi innati imbecillitate, viſus obtuſus ab ocularium mẽbranarũ denſatione & corrugatione, canities

ob

ob humoris in capite diffuſi cruditatem, immemores quoque ſunt ſenes ob notionum in illis mobilitatem, internam exſiccationem humoris inſiti, & externam humectationem cerebri ab humore excrementitio, vitium æquè familiare adoleſcentibus ac ſenibus,& acri ingenio præditis,ac qui tardo ſunt ingenio, in quibus obſeruandum iuuenes plerunque iiſdem cùm ſenibus affectibus corripi,ſed non eadem ratione,cùm aliàs aliter affectuũ ſint ſtatuendæ cauſæ. Qua de re vide caput ſextum partis ſecundæ. Quantùm verò ad curationem prædictorum affectuum attinet, vix in corpore ſenili locum habet,licebit tamen ex aliis methodis deprompta admouere remedia, vbi præſertim deformitas aliqua aut occultanda aut diſſimulanda occurrit,quibus breuitatis gratia ſuperſedeo.

Apparet igitur, dux generoſe, è ſuperius commemoratis, ſingulos ſenum affectus ex caloris innati diminutione oriri. Calor enim aut ſecundum naturam aut præter naturam langueſcit,ſecũdum naturam non ſolum langueſcit,verum etiam ſui pabuli conſumptione in vltimo deficit ſenio: at contra naturam ex praua victus ratione cum ex aquis, aëre & locis, tum ex alimenti adminiſtratione, à quibus maximè præcauere poterit,qui præſentem enarrationem legerit & lectam obſeruauerit.

De ſenum morbis acutis,calidis, ſecundum methodum Hippocraticam à nobis obſeruatam in prima ſectione.

CAPVT X.

HActenus de morbis diuturnis à cauſa frigida, qui ſenibus magis cognati,quàm iuuenibus, contrà acuti,

acuti, qui magis iuuenibus, quàm ſenibus familiares, & ideo minus periculoſi, autore Hippocrate, vt habetur aphoriſ. 34. ſect. 2. de quibus nobis iam dicendum eſſet, niſi propoſitę enarrationis lege intra proprios ſenilium affectuum terminos continenda videretur oratio. Hoc tamen à me præmonitum ex Galeno eſſe velim, ſenes magna ex parte non corripi acuta febre ſicut iuuenes, quod ſi acuta febris aliquando his accidat, qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio enim eſt immenſam quandam eſſe cauſæ febrem facientis magnitudinem, quæ frigidum & viribus efœtum corpus in flammam arripit, qualis phrenitis, lethargus, pleuritis, peripneumonia, hepatitis & reliquæ inflãmationes, quas febris cõſequitur cõtinua.

Eſt autem duplex acutorũ natura, vt docet Galenus, vel enim in humoribus calidis ſolis, qui nullũ obſedere locum, ſed equaliter in omnibus animalis partibus apti ſunt ex ſua natura generari, vt vtraque ſynochus & cauſus: vel loco aliquo paciente fiunt, vt inflammatis pulmonibus crymodes, hepate typhodes, ſtomacho lipyria, muſculis laryngis angina, menynge phrenitis, pleura pleuritis, cerebro lethargus: itẽ vena caua, veſica, renibus, columella & tonſillæ propriis laborant inflãmationibus, quibus omnibus febris epiginomene & continua ſuccedit. Rari enim ſunt, quibus ſtatim in principio febres non adſunt, vt apoplexia & conuulſio, & eorum degeneres paralyſis apoplexiæ, epilepſia conuulſionis. In hunc numerum recenſet Aretæus hyſteritin, ſatyriaſin, ileõ, colicõ, ſyncopen, hæmorrhagiã, &c. quidem affectus pendent à materia auferenda, aufertur autem tripliciter pharmacia, phlebotomia & dieta.

Quomodo verò & quando iſta materia ſit auferenda indicant eius duæ præcipuæ affectiones, nempe orgaſmus à quo refrenatio,& cruditas à qua pepaſmus eſt auſpicandus. Orgaſmus,qui rarus eſt, debet ſtatim in principio remitti per aph.24. primæ ſectionis, & per 29. ſect.2.&per 10.ſect.4.Remittitur autẽ purgante medicamento,ſi materia maligna qualitate percita modò huc modò illuc feratur : aut phlebotomia ſi inconcinno humorum & ſpirituum motu illud cõtigerit. Cruditas verò domatur pepaſmo, pepaſmus autẽ perficitur dieta legitimè inſtituta,vt patet ab aph.4.primæ ſect.ad 19.

Sunt varię cruditates,quot enim ſunt genera coctionum,tot etiã ſunt cruditatum,quędã enim cruditas pepſi corrigitur, quædam pepaſmo,pepſi in ſanis, pepaſmo in ægris: in illis ſinguli humores, in his materia morbifica capax coctionis, vt ſanguis in ſynocho & phlegmone,bilis in cauſo aut eryſipelate : qui verò sũt coctionis inexpertes,ſi valido trahãtur pharmaco morbos efficient lethales,quare dieta ſapientiſſimè inſtituta tantum periculũ vitabit: inſtituetur autem legitimè ſi dietarũ ſpecies morborum ſpeciei conuenienter accõmodetur,vt exquiſitè tenuis exquiſitè acuto, pertenuis peracuto,ſimpliciter tenuis ſimpliciter acuto. Deinde ſi conferatur dieta dietæ,morbus morbo, & morbus dietæ. Item dietarum quæ periculo vacet, & quæ potiſſimum vrgente neceſſitate ſit vſurpanda, vt in 4. 5. & 6. primæ ſect. aphor.

Cum verò naturæ ſit ſtudendũ,& morbo dimicãdum ante dietæ præſcriptionẽ morbi magnitudinem, ex eius intentione & remiſsione in principio,incremento & vigore perſpicere oportet, eamque cum virium

ægri

ægri robore aut infirmitate pariter in iiſdem tēporibus conferendam eſſe monet Hippocrates in aphor. 7. & 8. eiuſdem ſectionis, vt vtriuſque habita ratione & magnitudinis mōrbi, & verium ægri prudenter dieta modificetur, ne ęgro iniuria inferatur aut morbo indulgeatur, per 9. & 10. ea tamen lege, vt in vigore & in paroxiſmo nihil ægro exhibeatur, ne auocetur calor à pepaſmo ad pepſin, per 11.

At quia morbi magnitudo & ægri vires non aliunde peti poſſunt, quam à proprijs ſignis tecmerijs, ideo ea magnitudo, quæ in vigore & in paroxiſmis ſeſe oſtētat ſtatim perueſtiganda eſt, vt illis dieta decernatur conueniens. Perueſtigatio autem illa ducitur ab affligentis morbi ſpecie, anni tempore, periodorum ſtatis vicibus & ſignis epiphenomenis, 12. Parique ratione ægri vires ab ætate, per 13. 14. anni tēpore 15. & conſuetudine in cibi qualitate, 16. frequentia, 17. copia, 18. Sic igitur inſtituitur dieta extra ephodos: in ephodis verò quomodo abſtinendum ſit, vide in aphoriſ. 19.

Perfecto abſolutoque pepaſmo, ideſt coctione materiæ morbificę, quæ rara aut pene nulla eſt in ſenibus, facultatis excretricis eſt ſuas partes agere ſolius caloris diuini motu, virtutíſque illius ope, quæ oceani æſtus reciprocationeſque moderatur per ſingula meabilis, vt ſolis & lunæ reliquorúmq; ſyderum motus & influentiæ dierum criticorum moderatrices, quæ materiam morbificam è corpore deturbant. Non mouendi itaque humores, quos nunc natura magno conatu expellere ſtudet, ne ſcilicet illius actionem turbemus, atque per viam minus conuenientem noxios vacuemus humores. Totum igitur naturæ permittendum erit ne-

que quicquam à medico agendum, niſi vt victum cõuenientem, quemadmodum in ijs, quę præcedunt, ſententiis, expoſitũ eſt, inſtituat, interim excretionis criticæ ſplendidum faciens arbitrium. Nam perfecta illa eſt criſis, quæ in morbo nihil reliqui facit. Firma, fida & ſecura, quæ non ampliùs redit. Tuta, quæ ſine periculoſis ſymptomatis acceſſit. Manifeſta, cui excretio vel abceſſus inſignis. Laudabilis, quæ cũ laudabilibus ſignis acceſsit, & ab indice præiudicata eſt. Bona cuius finis euphoria, ſanitas corporis, viriũ integritas. Imperfecta verò, quæ perfectæ per omnia prædicta contrario ſe habet modo.

Itaq; imperfectè iudicato morbo nihil impedit, quin ea, quæ relicta ſunt, educere medicus poſsit: immo ceſſare non debet, quin ea vacuet, nam quæ relinquuntur poſt iudicationem recidiuã facere conſueuerunt, vt docet Hippocrates in ſecundæ ſectionis aphoriſ. 12.

Sunt tamen huiuſmodi euacuationis artificioſæ poſt imperfectã criſin certæ leges, partim ab humoris inclinatione, quã ſequi debet medicus, niſi loca ex euentu incõmoda prohibeant, 21. & coctione, cui medicamentum debet eſſe analogũ, ne ſi fortius fuerit, crudũ cum cocto ſimul educat. Hoc genus euacuationis vocatur epicraſis, cum ſenſim coctũ educitur, crudo iterandæ coctioni & ſubductioni remanente, idque toties, donec materiæ morbificæ nihil ſuperſit, 22. Partim à morbi cauſa & conditione, dixit enim Hippocrates priùs cocta educenda, nũc verò an coctio illa cauſæ reſpõdeat morbificæ videndũ: nam acuti à bile, aut ſanguine, lõgi à pituita, aut melancholia mixti ab humorũ confuſione. Itaq; in acutis ſanguinis, aut bilis coctio expectãda eſt,

da eſt,in longis pituitæ,aut melancholiæ, in mixtis cõfuſionis humorũ, 23. A conditione morbi, nam acuti morbi,non purgatione,ſed critica euacuatione finiuntur: pręterea rarò orgaſmo concitantur, ſæpius phlegmonẽ, obſtructionẽ,crudos,lentos,craſſos ſuccos,flatibus diſtenta hypochondria comitantur, in quibus abſtinendũ eſt purgatione,niſi leni & blando pharmaco, clyſmis & id genus alijs aluus exoneretur,24.

Concluſio operis per exemplum excretionis ſymptomaticæ.

CAPVT XI.

ESTO nobis propoſitũ exemplum excretionis ſymptomaticæ ad criticæ & artificioſæ intelligentiam, de quibus modo dicebamus: nam oppoſitum iuxta ſepoſitum magis eluceſcit. Cùm anno præterito ad medicandum virum nobilitate eximium eſſem vocatus, qui grauiſsimã febre correptus & vrinæ ſuppreſsione iam quinque iacebat dies, ætate prouectior, vt qui ſextum & ſeptuageſimum attigerat annũ, otio litterario, & geniali vita abundans, rarò morbis, ſæpiùs hæmorrhoidibus illis laborãs,quę à ſplenico ramo deriuatæ in inteſtinũ rectum inſeruntur, indeq; internæ appellatæ. Ego,vt primum ad morbi ſpeciem & cauſas perſcrutãdas accedo, animum ea diligentia intendo, qua grati benemerentibus amicis ſolent mederi,mihi fortiſsimo cum hoſte: morbo nempe acuto, dimicandum eſſe intelligo. Erat enim ille magna ſymptomatum ſtipatus caterua, virium in primis ob ſenilem ætatem imbecillitate, rigoribus frequentibus, ſiti inexpugnabili cum ardore & aluino incẽdio, ſputis & vomitibus cruentis,

laterali dolore,& quod omnium deterrimum mihi videbatur,vrinæ ſuppreſſione,ad quam educendam magni referebat propter periculum eius anadoſeos cū ſanguine.Quid multa? in ſpem erigo hominem, & quam in me fiduciā ſemper intellexerat,exorat, annuo,ſeque pollicetur in omnibus obtemperaturum & vnâ aduerſus morbum fortiter conſpiraturum. Intereà, intendo manus operi,conuenientemque præſcribo viuendi rationem,ſignis pepticis & criſimis,quæ rara ſunt in ſenibus, intentus nullis eretiſmis prouoco naturam, niſi quantum ad vrinæ ſuppreſſæ eductionem permittebat neceſſitas. Hanc molior,eiuſque in finem operam imploro Chirurgi, adeſt, doctaque manu & cathetere conuenienti per vrinæ meatum in veſicæ capacitatem blandè penetrauit, è qua pro vrina, viſu mirabile, ſanguinem purpureum, concretum, purum per thrombos diuulſum copioſè eduxit, ea ferè quantitate , qua è baſilica ſalutari phlebotomia educi potuiſſet. Huius territus rei ſpectaculo chirurgus , cauſam à me perquiſiuit vnde tanta puri immixtíque ſanguinis copia in veſicam vrina vacuam confluxiſſet, ibíque incorruptus tot dies ſine excretione contineri potuit, & quo tandem vrina abijt, cuius excernendæ deſiderio æger tantoperè capiebatur. Ad quæ, nec nouum nec inauditum ſanguinem per veſicam excerni, reſpondeo , aliquandóque hanc viam ſalutariter moliri naturam quotieſcunque hæmorrhoides ſuppreſſæ aliò diuertuntur , eſſeque venarum ramulos in hunc vſum à natura paratos, non tantum in veſicam , ſed etiam in vterum , & pudendum pertinentes, nec me valde ſanguine perſpecto

ſpecto commoueri, ſoliùs vrinæ ſupreſſæ & acutæ febris periculo ægrotanti timendum, tum iis etiam ſymptomatis, quæ prius recēſui, ſputis & vomitibus cruentis, doloribus lateris, & aluino incendio, in illis præſertim partibus, quæ vicinia & operis ſocietate veſicæ conſentiunt. Præterea anni tempus inæquale, ægri ætas prouectior, nullum diebus indicibus ſignum pepticum, non ex vrinis, nam quî fieri poſſet, vbi denegatæ? non è deiectionibus perpetuò fœtidis, nigris & cruentis: neque ex ægro malè ſe habenti ad ſalutaria remedia, quæ illi offerebantur. Interea dum noctes diéſque ago inſomnes benè merentíque vitam fugientem retinere ſtudeo ſeni, nox ſupra omnes accedens moleſta ſuis comitata pediſequis dyſpnœa, caligine, tremore, oculorum madore, æſtu & ſiti, anticipatione, longitudine & vehementia acceſsionis cæteris grauior excretionem in ſequentem diem, qui fuit vndecimus, ſymptomaticam pro critica, futuram promittebat. Exploro pulſum inæqualem, inordinatum, & à moderato longè recedentem, prope nullum: inſtat natura operi, mouet vrinas nigras, copioſas, cruentas: ſoluitur aluus deiectione vrinis conſiſtentia & qualitate ferè ſimili. Incumbunt clinici, vrget inexpugnabilis deiiciendi cupiditas, donec iam viribus exhauſtus & penè nullus ſe continet in lecto. Fœdatur alui proluuie, actúmque eſſe de vita, ſicut à principio prædixeram, denuncio. Obijt hora quinta veſpertina, illo tempore, quo paroxiſmus quotidie continuam intendebat.

Primam

Primam mali labem ex illo equitatu acceſſiſſe credibile eſt, quo in tam breui temporis ſpatio & itineris longitudine ſe transferre in prædium properabat. tum de more hæmorrhoides appertæ ſanguinem purulentum fundebant, quæ cum attritu irritatæ inflammarentur, quod veriſimile eſt, nec libera illis fundendi ſanguinem facultas conceſſa eſſet, reſtiterunt, viamque affectantes inſuetam, partim palindrome in iecur & lienem, partim metaſtaſi in pleuram per intercoſtales venas, & in veſicam familiarẽ vicinia locum ſanguinem feruidiſſimum fuderunt. Hinc recti inteſtini inflammatio, ab inflãmatione veſicæ colli compreſſio, à cõpreſſione ſanguinis retentio, & extra naturalem locum poſiti concretio, à retentione & concretione ſanguinis in veſica vrinæ ſuppreſsio, à ſuppreſsione illius diadoſis per vniuerſam ſanguinis molem, ab illa diadoſi dolor & incendium aluinũ, à dolore & incendio aluino febris continua, à febre continua quæcunque prius cõnumerata ſunt ſymptomata. Adde ſi placet ſanguinis perniciosſimi ex alia via in iecur irreptio, vnde vomitus ſanguinis: in latus, vnde dolor lateris: in caput per venas iugulares ad ſyndiomen illam venarum, vnde Hęmorrhagia.

His ita ritè ponderatis vtriuſ-vis ſenilis affectus à calida aut frigida intemperie progeniti præcautio, atque curatio ſtatim occurret.

Μόνῳ θεῷ δόξα.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE III ROMA